Constitutiones

Congregationis Religiosae Sororum Nominis Jesu sub Patrocinio

B. Mariae, Fidelium Auxiliatricis.



VILNAE 1923.

OFFICINA GRAPHICA D. O. K. III. № 727. 8.VI. 100.

Constitutiones quae sequuntur recognovi, ad normam Codicis J. C. redigere studui atque easdem approbo.

Vilnae, die 22 maii 1923 an.

† *Georgius Matulewicz,*
Episcopus Vilnensis.

(L. S.)

Ad maiorem gloriam Dei in Eucharistia Absconditi!

Constitutiones

Congregationis Religiosae Sororum Nominis Jesu sub Patrocinio B. Mariae, Fidelium Auxiliatricis.

PARS I.

De natura Congregationis et de modo ad ipsam accedendi et in ea vivendi.

CAPUT I.

De Congregationis fine, natura et SS. Patronis.

I.

1. Congregatio Religiosa Sororum Nominis Jesu sub patrocinio B. Mariae, fidelium Auxiliatricis, est aggregata Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum, vivit sub Tertia Regula Sancti Patris Francisci Seraphici approbata a Leone X Papa, quae obligat ad normam harum Constitutionum.

2. Finis primarius et generalis Congregationis religiosae sororum Nominis Jesu sub patrocinio B. Mariae, fidelium Auxiliatricis, est gloria Dei et sanctificatio membrorum suorum.

Sorores, stabiliter in communi vivendo, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia, secundum propria Constitutiones,

servanda per vota simplicia publica obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendant. Cf. can. 487, 488, n. 1, 593.

3. Secundarius et specialis finis constituitur in caritatis operibus erga Deum et proximum, praesertim est exercitium christiani influxus inter opificum classem et praestatio eisdem opis tam moralis quam materialis.

Ad quem finem Congregatio contendat potissimum:

1-o Fundando et dirigendo varii generis scholas superiores, medias et elementares tam litterarias et paedagogicas quam specialibus artibus operibusque addiscendis destinatas;

2-o Fundando internatus et asyla;

3-o Fundando officinas artibus operibusque exercendis destinatas atque curando invenire honestam ac lucrativam operam pro opificibus;

4-o Fundando catholicas puellarum et mulierum associationes, patronatus, recreatoria;

5-o Edocendo cathechismum et praeparando ad Sacramenta suscipienda sub directione Ordinarii et parochi loci et praesertim ab eisdem requistitae. Cf. can. 608.

6-o Instituendo utilia colloquia et praelectiones;

7-o Item instituendo communem bonorum, praesertim religiosi argumenti librorum et ephemeridum lecturam atque eadem propagando;

8-o Curando instituere sacram recollectionem aliaque pia exercitia;

9-o Denique pro viribus curando praebere exemplum vitae orationi, labori et virtutum exercitio deditae.

II.

4. Quamquam Congregatio Superioribus ecclesiasticis plane nota sit opertet, tamen coram laicis sorores suam vocationem religiosam non produnt, sed tamquam ceterae exemplaris vitae christianae feminae sese gerere student.

5. Ob quod vitae genus, sorores, quo minora suae vocationis religiosae exteriora munimina habent et quo magis ex parte mundi expositae sunt periculis, eo impensius vitam interiorem in se colendam curent et eo magis obedientiae virtutem aestiment serventque eaque nitantur et muniantur.

6. Sodales omnes Congregationis in duas classes distribuantur; quarum ad priman pertinent praecipua munera gubernationis, directionis, institutionis in religione, litteris et artibus, altera vero domesticis et manualibus operibus praecipue incumbit.

7. Utriusque classis sorores sub eadem communi disciplina religiosa vivunt, sed sorores secundae classis carent voce passiva.

8. Post professionem, non datur transitus a prima ad alteram classem, nec viceversa.

9. Etiamsi omnes sorores in Congregatione in eis quae ad vitam religiosam spectant inter sese pares habeantur, tamen (habito respectu illius circumstantiae, quod nimirum, cum vestitum laicum gestent, sorores coram laicis non sese ostendunt nisi tamquam ceterae feminae christianae) quaevis soror erga alias sorores eum occupet locum atque in ea sit externa relatione et necessitudine, quam eiusdem conditio et munus postulent, secundum leges et consuetudines in societate christiana inter homines communiter receptas et usitatas.

10. Pro variis operibus et negotiis, praesertim exterioribus, et quo facilius suos fines assequatur, Congregatio pias puellas et feminas, quae eidem qualicumque modo opem ferre cupiant, sibi addicere potest; quibus etiam certam vivendi formam praescribere et meritorum propriae Congregationis participationem concedere potest; ut, quo meliori fieri possit modo, bonorum vitae religiosae participes efficiantur.

11. Sodales Congregationis regantur:

1-o Jure divino sive naturali sive positivo;

2-o Legibus et praescriptionibus in Codice Juris Canonici contentis tum pro religiosis in particulari tum pro omnibus fidelibus datis, congrua congruis referendo;

3-o Legibus et praescriptionibus quae a Sede Apostolica post promulgatum Codicem editae sunt vel edentur;

4-o Legibus liturgicis, in probatis ab Ecclesia libris contentis, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur;

5-o Legibus et praescriptionibus dioecesanis, congrua congruis referendo;

6-o Propriis constitutionibus ac consuetudinibus rationabilibus, legitimis et laudabilibus;

7-o Ordinationibus et praescriptis tum Capitulorum Generalium tum Superiorissarum ad normam constitutionum editis. Cf. can. 2—30; 499; 500, § 1; 509, § 1, § 2, n. 1-o; 592; 614; 656, n. 1-o.

12. Congregatio religiosa Sororum Nominis Jesu sub patrocinio B. Mariae, fidelium Auxiliatricis, utpote legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit, nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate. Can. 493.

III.

13. Congregationis SS. Patroni erunt: B. Virgo Maria sub titulo Auxiliatricis fidelium, S. Joseph, S. Michael Archangelus, SS. Apostoli Petrus et Paulus, S. Franciscus Assisiensis, S. Bernardinus, S. Sebastianus, S. Antonius de Padua, S. Stanislaus de Kostka, S. Teresia Seraphica.

Peculiari devotione Congregatio haec festa celebrabit: SS. Nominis Jesu, Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, B. V. Mariae Auxiliatricis fidelium, Immaculatae Conceptionis, B. Mariae Virg. Loretanae, Praesentationis B. Mariae V., S. Francisci Assisiensis et S. Teresiae; praeterea quaevis domus proprii Patroni festum celebrabit.

CAPUT II.

De habitu.

14. Sorores nullum habitum religiosum gestent; sed utantur vestitu saeculari cuiusque occupationi et muneri accommodato, qui simplicitate et modestia emineat spirituique paupertatis correspondeat, sed decens sit oportet; attamen sub vestibus exterioribus, tamquam signum religiosae vocationis, sorores portent e panno fusci coloris scapulare cum nomine Jesu desuper picto ac cingulum S. Patris Francisci.

15. Sorores recipiant: cum postulatum inchoant, numisma cum effigie ex una parte Sacratissimi Cordis Jesu, ex altera B. Mariae V. Auxiliatricis fidelium; cum novitiatum incipiunt — scapulare de quo supra; cum prima vota temporaria nuncupant, crucem; cum perpetua vota emittunt, annulum argenteum.

CAPUT III.

De postulatu.

16. In Congregationem admitti potest quaelibet catholica quae nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad Congregationis onera feranda sit idonea. Can. 538.

17. Ne recipiantur candidatae nisi bene notae vel a gravibus, fide dignis personis commendatae.

18 Omnes aspirantes, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex integros menses peragant; quod tempus Superiorissa provincialis potest, in casibus paticularibus, iusta ex causa, prorogare, non tamen ultra aliud semestre. Can. 539.

19. Potestas admittendi ad postulatum est penes Superiorissam provincialem quae hanc potestatem aliis sororibus delegare potest.

20. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum Constitutiones accurate servetur sub speciali cura probatae sororis. Cf. can. 540.

21. Postulantes tenentur disciplinae domus et religiosae observantiae submitti et pia Congregationis exercitia peragere; item possunt ad varia domus opera et occupationes, ut probentur, adhiberi.

22. Tempore postulatus candidatae edoceantur catechismum, prout indigent; instruantur in rebus, quae religionem et spiritus profectum respiciunt; praesertim tradenda est eis saltem generalis Constitutionum, nempe Congregationis finis, spiritus, praecipuorum pietatis exercitiorum, votorum notitia; item ob earum oculos ponendae sunt difficultates graviores, quae in Congregatione eas manere possunt.

23. Durante probatione observandae sunt aspirantes, num idoneae sint ad Congregationis opera et onera suscipenda; num sint propensae ad pietatem, ad bonum spirituale et virtutes sectandas; num sint recti de rebus iudicii, prudentes et discretae, probae et conscientiosae, tractabiles et obedientes, concordiae amantes et sociabiles; num laboriosae; num sufficienter instructae aut saltem capaces ad studia peragenda vel aliquam artem seu operam addiscendam; num paratas se probent ad labores et sacrificia quae religio postulat subeunda; num sufficientem habeant valetudinem.

24. Ab aspirantibus non exigitur, ut iam perfectae sint, sed ut veram sinceramque voluntatem et desiderium in hac Congregatione ad perfectionem tendendi et Deo serviendi ita manifestent, ut prudenter sperare liceat fore, ut, Deo iuvante et ipsis assidue cooperantibus, acquirant virtutes et habitus, quibus instructae et seipsas sanctificare et Congregationem in assequendo eius fine utiliter iuvare valeant.

25. Cavendum est praesertim a candidatis quae sunt: superbae, pertinaces et obstinato animo, ficti, tortuosi occultique ingenii, animo tristi moestoque, inconstantes, morositate plenae, hysteria affectae, vana et inepta somniantes, suspiciosae, pronae ad omnia perperam diudicanda et censuranda, tardi ingenii et incapaces.

26. Ex postulatu statim dimittantur dyscolae, incorrigibiles, seditiosae, eae quae ob mores atque indolem ad statum religiosum idoneae non videantur; praesertim vero quae forte contra bonos mores aut fidem deliquerint. Cf. can. 1371.

27. Superiorissa provincialis, postulatu durante, curabit accuratas investigationes circa indolem et mores adspirantis peragendas et necessaria testimonia informationesque exquirendas ad normam sacrorum canonum et propriarum Constitutionum, in n. 46—51.

28. E postulatu ipsa Superiorissa provincialis de consensu Consilii candidatam dimittere valet, audita praesertim sorore, sub cuius speciali cura postulans manebat.

29. Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem. Can. 541.

CAPUT IV.

De dote.

30. Quaevis postulans afferat dotem, 500 libellas aureas facientem. Cf. Can. 547, § 1.

31. Haec dos ante admissionem in novitiatum Congregationi tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma iure civili valida. Can. 547, § 2.

32. Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine indulto Ordinarii loci atque dummodo status oeconomicus Congregationis detrimentum ne patiatur et candidatae talibus sint praeditae qualitatibus, ut eas magnae utilitati Congregationi fore certa spes habeatur. Cf. Can. 547, § 4.

33. Dos religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum sororis, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit. Can. 548.

34. Ipsa soror de dote quam Congregationi attulit nullo modo disponere potest.

35. Post primam sororis professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Consilio, de consensu Ordinarii loci; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante sororis obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguendum. Can. 549.

36. Dotes caute et integre administrentur apud domum habitualis residentiae Antistitae provincialis. Can. 550 § 1.

37. Meminerint Superiorissae: Ordinariis locorum ius esse conservandis sororum dotibus invigilandi et praesertim in sacra visitatione quinquennali, immo etiam saepius, si id necessarium duxerint, de eisdem rationem exigendi. Cf. Can. 550, § 2; 535, § 2.

38. Dos sorori professae quavis de causa discedenti integra restituenda est sine fructibus iam maturis. Can. 551, § 1.

39. Si vero soror professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, emissa vero professione, dos ipsa huic religioni debentur. Can. 551, § 2.

40. Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniri debent, si contra praescriptum n. 35 constitutionum dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in n. 38—39 constitutionum. Can. 2412, n. 1.

CAPUT V.

De novitiatu.

Articulus I.

De requisitis, ut adspirans in novitiatum admittatur.

I.

41. Firmo praescripto in nn. 16—29 Constitutionum,
1-o Invalide ad novitiatum admittuntur:
a) quae ipsae a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt;
b) quae aetatem ad novitiatum requisitam non habent;

c) quae raligionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inductae, vel quas Superiorissa eodem modo inducta recipit;
d) coniux, durante matrimonio;
e) quae obstringuntur vel obstrictae fuerunt vinculo professionis religiosae;
f) hae quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusatae sunt vel accusari possunt.

2-o Illicite, sed valide admittuntur:
a) aere alieno gravatae quae solvendo pares non sint;
b) reddendae rationi obnoxiae aut aliis saecularibus negotiis implicatae ex quibus lites et molestias religio timere possit;
c) filiae, quae parentibus, id est patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quarum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;
d) orientales sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali. Can. 542.

42. Si quae candidata aliquo ex enumeratis supra n. 41 impedimentis detenta propter maiorem Dei gloriam in Congregationem recipienda esse videatur, impetranda est ad eam admittendam Sanctae Sedis licentia.

43. Ut ad novitiatum licite admitti possint, requiritur et sufficit licentia Superiorissae Generalis de consensu sui Consilii data:
1-o Illegitimae non rite legitimatae;
2-o Viduae; salvo praeseripto n. 41, 2-o, c. constitutionum;
3-o Natae amplius triginta annos.

44. Jus admittendi ad novitiatum et tam ąd primam professionem religiosam annuam eiusque subsequentes renovationes, quam ad professionem perpetuam pertinet ad Superiorissam Provincialem cum suffragio Consilii; in admittendo ad novitiatum perpendenda est diligenter opinio illius praesertim sororis, sub cuius speciali cura postulans manebat; insuper admissio ad primam et ultimam professionem annuam ut valeat, confirmari debet a Supuriorissa Generali eiusque Consilio. Cf. Can. 543.

45. Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam perpetuam quam temporariam. Can. 2352.

II.

46. Omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis. Can. 544, § 1.

47. Si agatur de admittendis illis quae in aliquo collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae

testimoniales datae pro diversis casibus a collegii Regente, aut a maiore religionis Superiorisssa. Cf. Can. 544, § 3.

48. Religiosae professae ad Congregationem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superiorissae maioris prioris religionis. Can. 544, § 5.

49. Adspirantes ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores, obtentis opportunis et fide dignis de eis relationibus et informationibus, atque acceptis requisitis testimoniis. Cf. Can. 544, § 7.

50. Omnes, quae praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas, quae illas tradiderunt Can. 546.

51. Praeter haec testimonia, de quibus supra nn. 46—48, a iure requisita, potest Superiorissa, cuius est adspirantes in novitiatum recipere, alia quoque exigere, quae ipsi ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur, ut: testimonium morum, status liberi nisi de eo aliter certo constet, de peractis studiis, de valetudinis statu. Can. 544, § 6.

52. Superiorrissae quae candidatam non idoneam contra praescriptum Constitutionum in n. 41 et 42, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum num. 46—49 ad novitiatum receperint vel ad professionem contra praescriptum Constitutionum in. n. 84 admiserint, pro gravitate culpae puniendae sunt, non exclusa officii privatione. Can. 2411.

III.

53. Antistita debet Ordinarium loci, duobus mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum primam temporariam tum perpetuam. Can. 552, § 1.

54. Ordinarius loci vel eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra n. 53, diligenter et gratuito explorat, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti. Can. 552, § 2.

55. Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat officii privatione, ab Ordinario loci punietur, si contra praesecriptum in n. 53 et 54 constitutionum omiserit Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem. Can. 2412, n. 2.

Articulus II.

De novitiarum institutione.

I.

56. Novitiatus incipit solemni impositione super postulantem numismatis ad normam n. 15 atque traditione eidem exemplaris Constitutionum. Cf. Can. 553.

57. Pro novitiatu designanda est domus, quae ad novitiarum institutionem aptior videatur. Ad erigendam novitiatus domum et transferendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae. Cf. Can. 554, § 1.

58. Plures in eadem provincia novitiatus domus designari nequeunt, nisi gravi de csusa et cum speciali apostolico indulto. Can. 554, § 2.

59. Superiorissae in novitiatus domo ne collocent, nisi religiosas, quae sint ad exemplum regularis observantiae studio. Can. 554, § 3.

60. Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professae, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superiorissae vel Magistrae licentia, novitiae nullam habeant communicationem cum professis neque hae cum novitiis. Can. 564, § 1.

61. Praeter Magistram et eius sociam aliae religiosae intra novitiatus septa ne habitent.

II.

62. Praeter alia quae in. n 41 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus, ut valeat, peragi debet:

1-o post completum decimum quintum saltem aetatis annum;

2-o per annum inetgrum et continuum; primus dies anni novitiatus ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri. Cf. Can. 34, § 3.

3-o in domo novitiatus. Can. 555, § 1.

63. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitia, Superiorissa dimissa, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversura deseruerit, aut extra domum, etsi reversura, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacunque ex causa, etiam de Superiorum licentia. Can. 556, § 1.

64. Si novitia ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorissarum licentia vel vi coacta extra domus septa permanserit sub Superiorissae obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superiorissis praescribi, sed non est ad validitatem necessarium. Can. 556, § 2.

65. Superiorissae licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant. Can. 556, § 3.

66. Si novitia a Superiorissis in aliam novitiatus domum suae Congregationis transferatur, novitiatus non interrumpitur. Can. 556, § 4.

III.

67. Novitiae potestati Magistrae ac Superiorissarum religionis subsunt eisque obedire tenentur; earum immediata institutio et regimen ad Magistram spectat. Cf. Can. 561.

68. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistrae hoc habere propositum, ut informetur novitiae animus studio constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas; zelo et ardore ad Congregationis labores et opera quae expectant suscipienda; opportunis instructionibus circa modum ac rationem hominum mentes convincendi eorumque animos Deo conciliandi. Cf. Can. 565, § 1.

69. Magistra saepius eis verae et christianae urbanitatis leges tradat, easque exemplo suo ad illas colendas excitet; hortetur praeterea ut praecepta hygienica, vestium et corporis munditiem et quandam in conversando comitatem cum modestia coniunctam, iugiter servent. Cf. Can. 1369, § 2.

70. Praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eas habita semel saltem in hebdomada. Can. 565, § 2.

71. Anno novitiatus ne destinentur novitiae exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; in ipsa autem religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis domesticis (non tamen uti primariae officiales) quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur. Can. 565, § 3.

72. Singulis novitiis ab ipso probationis exordio detur integrum exemplar Constitutionum Congregationis, ut eas legere et meditari valeant et explicationes a Magistra desuper faciendas utilius sequantur.

73. Ante professionem quaelibet novitia examinabitur, num ipsa bene vota intelligat, modumque quo eadem ligent, atque num Constitutiones probe cognitas habeat.

IV.

74. Novitiae, prout cognoscunt, tenentur observare constitutiones.

75. Circa sacerdotes a confessionibus in novitiatu et ipsas confessiones serventur eadem ac pro professis Constitutionum praescripta. Cf. Can. 566, § 1.

76. Novitiae privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt. Can. 567, § 1.

77. Antequam professionem emittat, novitia debet de bonis suis temporalibus disponere et testamentum condere, prout dicetur infra cum de voto paupertatis agetur nn. 150 — 152 Constitutionum. Cf. Can. 569.

78. Nullos actus donationis Congregatio a candidata accipiat, ut utriusque partis libertati sit cautum.

79. In novitiatus decursu, si suis bonis quovis modo novitia renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est. Can. 568.

80. Antequam adspirans ad postulatum vel novitiatum admittatur, Superiorissa Provincialis conveniat cum ipsa et cum eius parentibus sive tutoribus de expensis pro victu et vestitu usque ad professionem; super qua re tamen eadem Moderatrix de consensu sui Consilii potest candidatam dispensare. Cf. Can. 570, § 1.

81. Pecunias, indumenta, supelectillem aliasque res quas secum adspirans attulerit, Superiorissa domus diligenter adnotet et custodiat usque ad professionem, neve eidem relinquat nisi ea quae ipsi soli ad usus sint necessaria; ne quid vero ex illis rebus aliis sodalibus utendum tradat.

82. Omnia quae adspirans attulerit et usu non consumpta fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur. Novitia vero ad normam constitutionum n. 80 quod conventum est pro victu et vestitu Congregationi solvere tenetur. Cf. Can. 570, § 2.

V.

83 Novitia potest religionem libere deserere aut a Superiorissa Provinciali cum suffragio Consilii quavis iusta de causa dimitti; quae dimissio, antequam executioni mandetur, debet a Moderatrice Generali, de consensu Consilii, confirmari. Superiorissa non tenetur dimissionis causam dimissae patefacere. Cf. Can. 571, § 1.

84. Exacto novitiatu, si iudicetur idonea, novitia ad professionem pluralitate votorum secretorum Antistitae Provincialis eiusque Consilii admittatur; quae admissio, ut valeat, debet a Moderatrice Generali de consensu Consilii confirmari; secus dimittatur ad normam n. 83 Constitutionum; si dubium supersit sitne idonea, potest ab Antistita provinciali cum sufragio Consilii probationis tempus non tamen ultra sex menses, prorogari. Cf. Can. 571, § 2.

85. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitia praemittat per octo solidos dies. Can. 571, § 3.

Articulus III.

De professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa.

(S. C. de Religiosis, 30 decembris, 1922; A. XV, 156 —158).

86. Novitias vel postulantes, quae medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constitutae existimentur, liceat ad professionem admittere, quamvis tempus novitiatus vel postulatus nondum expleverint.

87. Attamen ut novitiae vel postulantes ad supra dictam professionem admitti queant, oportet:

1-o Ut novitiatum vel postulatum canonice inceperint;

2-o Superiorissa, quae novitiam vel postulantem ad professionem admittit, praeter Superiorissas maiores, quibus ex praescripto Constitutionum competit, esse possit etiam illa, quae novitiatus vel postulatus domum actu regat; aut praedictarum Superiorissarum delegata;

3-o Formula professionis sit eadem, quae in Congregatione extra casum aegritudinis in usu est iuxta n. 98. Constitutionum; et vota sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

88. Quae huiusmodi professionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae sorores vere professae in Congregatione decedentes consequantur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Jubilaei misericorditer in Domino conceditur.

89. Haec professio, praeter gratias in numero praecedenti enumeratas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

1-o Si novitia vel postulans post huiusmodi professionem intestata decedat, Congregatio nulla bona vel iura ad ipsam pertinentia sibi vindicare potest;

2-o Si convalescat antequam tempus novitiatus vel postulatus expiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionam emisisset; ideoque a) libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et b) Superiorissae illam dimittere valent; c) totum novitiatus vel postulatus tempus in Constitutionibus definitum explere debet; d) hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio erit emitenda.

CAPUT VI.

De professione religiosa.

I.

90. Ad validitatem cuiusvis professionis religiosae requiritur ut:

1-o quae eam emissura est, legitimam aetatem habeat ad normam n. 92 constitutionum;

2-o eam ad professionem admittat legitima Superiorissa secundum constitutionum nn. 84 et 96;
3-o novitiatus validus ad normam n. 62 constitutionum praecesserit;
4-o professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;
5-o sit expressa;
6-o a legitima Superiorissa secundum Constitutiones nn. 97 et 98 per se vel per aliam recipiatur. Can. 572, § 1.

91. Ad validitatem vero professionis perpetuae requiritur insuper, ut praecesserit professio temporaria ad normam nn. 92 et 93 constitutionum Can. 572, § 2.

92. Quaelibet professionem religiosam emissura oportet, ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua. Can. 573.

II.

93. Novitia post expletum novitiatum debet votis perpetuis praemittere, salvo praescripto n. 306 Constitutionum, votorum: obedientiae, castitatis et paupertatis professionem annualem renovandam per triennium vel per longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet; hoc tempus legitima Superiorissa, de qua n. 44 Constitutionum, potest, renovata a sorore professione temporaria, prorogare, iusta de causa, non tamen ultra aliud triennium; prima professio annualis fieri debet in ipsa novitiatus domo. Cf. Can. 574.

94. Exacto professionis temporariae tempore, soror, ad normam n. 309 constitutionum, vel emittat perpetuam professionem simplicem vel ad saeculum redeat; sed etiam durante tempore professionis temporariae, potest si digna non habeatur quae vota perpetua nuncupet, dimittti a Moderatrice Generali ad normam n. 327 constitutionum. Can. 575, § 1.

95. Ante professionem perpetuam singulae sorores sub directione probatae sororis a Superiorissa Generali eiusque Consilio designatae saltem per tres menses vacent exercitationibus opportunis ad spiritum renovandum et ad sese in vocatione confirmandum.

96. Suffragium Consilii pro quavis temporaria professione annua est deliberativum; pro subsequente professione perpetua est consultivum tantum. Can. 575, § 2.

97. Professio fit coram sacerdote ad hoc invitato, in manibus Superiorissae maioris nomine Congregationis acceptantis quae iusta de causa ad hoc aliquam aliam sororem deputare potest. Cf. Can. 576, § 1.

98. Formula professionis est haec: Ego soror Maria N. promitto Deo Omnipotenti, Beatae Mariae Virgini, Seraphico Patri nostro Francisco, Omnibus Sanctis et Superiorissae Generali (vel „Superiorissae Provinciali" vel „Sorori Delegatae a Superiorissa Generali" vel „Provinciali") observare praecepta Dei et Regulam Poenitentium III

Ordinis S. Francisci a Nicolao IV Papa approbatam et a Leone X Papa reformatam atque pro eius transgressionibus satisfacere. Insuper voveo Deo Omnipotenti ad annum (vel „in perpetuum") tria vota simplicia: obedientiae, castitatis et paupertatis in Congregatione Sororum SS. Nominis Jesu, sub patrocinio B. Mariae, fidelium Auxiliatricis; atque haec omnia iuxta Constitutiones eiusdem Congregationis. Sic me Deus adiuvet et B. Maria, fidelium Auxiliatrix.

99. Documentum emissae professionis, ab ipsa professa et saltem ab ea coram qua professio emissa est, subscriptum, servetur in tabulario Congregationis. Can. 576, § 2.

100. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora. Can. 577, § 1.

101. Superiorissae tamen facultas est ex iusta causa permittendi, ut renovatio votorum temporariorum, per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur. Can. 577, § 2.

102. Praeterea ex devotione omnes sorores in communitate et solemniter renovabunt vota sua in festo Praesentationis B. Mariae V. 21 novembris et quavis prima feria VI cuiusque mensis; privatim autem die professionis S. Francisci 16 aprilis, diebus festis Nativitatis D. N. Jesu Christi, Epiphaniae et quavis feria VI.

III.

103. Sorores professae a votis temporariis fruuntur iisdem indulgentiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professae a votis perpetuis; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent; sed eadem quoque obligatione tenentur observandi constitutiones. Cf. Can. 578 n. 1—2.

104. Professae a votis temporariis gaudent voce activa, sed carent passiva; quam solae professae votorum perpetuorum habent; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva computetur a prima professione annuali. Cf. Can. 578, n. 3.

105. Professio quae fit, sive temporaria sit sive perpetua, actus votis contrarios redit illicitios, sed non invalidos. Can 579.

106. Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit; vota autem post professionem emissa possunt a superiorissis irrita reddi. Cf. Can. 1315, 1312.

107. Quae vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in religione, nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere,, etsi eidem antea fuerit adscripta. Si soluta a votis ad saeculum redierit, antiqua adscriptio reviviscit. Can. 704.

108. Salvo praescripto n. 107 professae possunt piis associationibus nomen dare, exceptis iis quarum leges, Superiorum iudicio, cum observantia constitutionum conciliari nequeant. Can. 693. § 4.

109. Professio irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est, ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur. Can. 586, § 1.

110. Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte Congregationis consensus non fuerit revocatus. Can. 586, § 2.

111. Si contra validitatem professionis gravia sint argumenta et soror renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur. Can. 586 § 3.

112. In professione praesertim perpetua intercedit contractus onerosus inter religionem et profitentem: religio se obligat ad corporaliter et spiritualiter alendam profitentem, profitens autem se obligat ad religioni sese tradendum eique continuo inserviendum pro viribus etiam usque ad finem suae vitae; qui contractus potest tamen solvi: transitu ad aliam religionem, egressu e religione et dimissione, iuxta exposita cap. XVIII — XX.

CAPUT VIII.

De obligationibus in genere.

I.

113. Omnes et singulae sorores, Superiorissae aeque ac subditae, debent non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum constitutiones propriae Congregationis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere. Can. 593.

II.

114. Ab iis omnibus quae suum statum dedecent sorores prorsus abstineant: indecoras artes ne exerceant, incongruis ludis et oblectamentis ne vacant, tabernas aliaque similia loca sine necesitate aut lia iusta causa a superioribus probata ne ingrediantur. Cf. Can. 592; 138.

115. Ea etiam quae, licet non indecora, a religioso tamen statu aliena sunt, vitent:

1-o Sine apostolico indulto, medicinam vel chirurgiam ne exerceant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secum ferunt, ne assumant;

2-o Sine Ordinarii licentia:

a) Gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secum ferant onus reddendarum rationum ne ineant;

b) In laicali iudicio criminali, gravem parsonalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes;

c) in electionibus deputatorum ad commitia ne participent. Cf. Can. 592, 139.

116 In lites et luctas politicas, civiles vel nationales ne se immisceant. Cf. Can. 592; 141.

117. Spectaculis, choreis et pompis quae eas dedecent, vel quibus eas interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatriset kynematographis aliisque simlibus locis ne intersint; Cf. Can 140; 138, 592.

118. Prohibentur sorores per se vel vel per alios negotiationem quaestuosam aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem; id autem facere praesumentes poenis a Superioribus pro gravitate culpae coërceantur. Cf. Can. 142 2380. 592.

119. Item a fideiubendo, etiam de bonis propriis, tum Superiorissae tum subditae omnino prohibentur, neque umquam ad id licentia concedatur. Cf. Can. 137. 592

120. Haud licitum est sororibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis ofificii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus similibusque salemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit. Can. 1258.

121. Tum professae tum navitiae patrinae munus in sacramentis baptismi et confirmationis ne in se suscipiant, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superiorissae saltem localis. Cf. Can. 766, n. 4; 796, n. 3.

122. Omnem exteriorem fastum, vestitus corporisque affectatum cultum prorsus vitent; per gravem, decentem, urbanamque sui ipsius compositionem modestiam religiosam colant ad omnium aedificationem pariter ac praecepta christianae urbanitatis iuxta probatos locorum usus observent.

III.

123. Studeant sorores revera sanctiorem prae fidelibus in saeculo manentibus vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere. Cf. Can. 124.

124. Sorores studeant:

1-o In omnibus recta et pura intentione ac viva fide dirigi;

2-o Vitiorum semina radicitus extirpare, animi motus minus rectos compescere, cordis puritatem curare;

3 o Solidas virtutes suo statui convenientes acquirere, supra omnia autem caritatem habere;

4-o Sibi et mundo mori ac vitam interiorem colere;

5-o Orationi, poenitentiae ac labori vitam deditam agere;

6-o Crucem D. N. Jesu Christi, amplecti et cruces quae mittantur fortiter tolerare;

7-o In omnibus et per omnia ad arctissimam cum Deo unionem tendere.

125. Sorores:

1 o Totas se Ecclesiae tradant ac devoveant, eam omni obsequio et amore prosequantur, cum ea santiant eique pro viribus inserviant;

2-o Simili ratione propriae quoque Congregationi se totas dent devoveantque, eam adament eius vitam vivant ac bonum pro viribus promoveant;

3-o Inter se in mutua caritate, pace atque unione arctissima vivant;

4-o Cum sui abnegatione pro gloria Dei, pro salute ac bono proximorum seipsas impendant, praeprimis munera sibi concredita fideliter adimplendo.

CAPUT VIII.

De voto et virtute obedientiae.

I.

126. Per votum obedientiae soror assumit obligationem obediendi praeceptis legitimorum superiorum in iis, quae pertinent directe vel indirecte ad vitam Congregationis, hoc est ad observantiam votorum et Constitutionum.

127. Vi voti tenentur sorores obedire tunc tantum, cum legitima superiorissa praecipit expresse „in virtute sanctae obedientiae" vel „sub formali praecepto" aut verbis aequivalentibus iuxta proprias Constitutiones.

128. Raro, caute ac prudenter superiorissae praecipiant „in virtute sanctae obedientiae" et nonnisi ex gravi causa. Expedit praeterea, ut formale praeceptum imponant in scriptis vel saltem coram duobus testibus.

129. Superiorissae locales, praesertim parvarum domorum, ab imponendis formalibus praeceptis se abstineant.

II.

130. Ex virtute obedientiae sorores tenentur obligatione adimplendi proprias Constitutiones pariterque dispositiones et praecepta superiorissarum, non solum ea, quae hae in virtute obedientiae praescribunt, sed etiam ea omnia, quae iuxta proprias Constitutiones et spiritum Congregationis sunt praecepta, neque legibus divinis aut ecclesiasticis contraria. Similis obedientia debetur etiam vicariis, dum hae Superiorissarum vices obeunt, nec non sororibus officialibus in eis, quae earum officium stricte spectant.

131. Nulla soror praeter eas quae a suprioribus iuxta constitutiones facultatem acceperunt aliis praecipiat vel alias reprehendat.

132. Nullam maioris momenti rem agendam neque sua consilia et proposita exequenda sorores suscipiant, nisi cum scitu et consensu superiorum; cum docilitate igitur ab eis dependebunt: quod attinet ad

ordinem exercitiorum pietatis et occupationum ad munera et officia, ad relationes cum exteris, ad negotiorum rerumque tractationem, ad mortificationes publicas, ad epistolas scribendas, ad litterarum studia, ad lectionem librorum, ad susceptionem aliculus maioris momenti ministerii aut operis proximorum causa.

133. Imprimis suscipiendum est sororibus ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit a superioribus commissum.

134. Ad consuetas quae ex officiis commissis profluunt actiones quotidianas peragendas sorores non tenentur specialem a superiorissis petere licentiam.

135. Si quae soror forte indigeat ad aliquid speciali licentia, cum fiducia et simplicitate eam a moderatrice petat. In casibus dubiis et urgentibus sorores acquiescere possunt licentiae praesumtae cum intentione tamen superiorissas hac de re certiores reddendi. Licentiae stabili modo concessae habeant valorem usque ad sacram recollectionem annuam; quo tempore denuo renoventur; item obtentarum licentiarum renovationem expetat soror, quoties Superiorissa mutata est.

136. Superiorissas suas prosequantur sorores cum debito obsequio et reverentia atque cum debita animi submissione et docilitate suscipiant earum praecepta, dispositiones, consilia, exhortationes, admonitiones. Vel maxime caveant, ne contra superiores quid moliantur vel agant, ne contra eas murmurent, ne eis contradicant et obsistant; ne earum dicta vel facta censurent, cum aliarum scandalo.

137. Studeant sorores, ut earum obedientia sit viva fide animata ac perfecta; promta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, ordinata sine deviatione, iucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, universalis sine exceptione, perseverans sine cessatione.

138. Soror cui una superiorissa aliquam rem denegaverit non secus ad maiorem superiorissam cum eodem negotio recurrat, nisi prius indicaverit, quid ipsi prior superiorissa responderit et nisi exposuerit, quae rationes ipsam adpellerent ad iterum idem petendum.

139. Sorores semper possunt suas superiorissas filiali cum fiducia adire ad petendum ab eis consilium et sententiam, atque ad exponendum eis cum simplicitate suas difficultates et necessitates tam spirituales, quam corporales, pariter atque sua consilia et proposita concepta, quorum executionem ad Dei gloriam et proximorum bonum promovendum utilem fore existimaverint: re bene perpensa coram Deo, omnia superiorum decisioni plane relinquendo.

140. Moderatirces praecepta, quae edunt, bene antea perpendant, ad vires, talenta et qualitates subditarum et ad Congregationis bonum attendendo, subditarum rationes libenter audiant, studeantque erga eas in omnibus maternum exercere affectum.

CAPUT IX.

De voto et virtute castitatis.

141. Per votum castitatis soror professionem emittens se adstringit ad servandum coelibatum, et insuper novo titulo, id est ipsius voti, ad abstinendum a quocumque actu castitati opposito.

142. Professae votorum perpetuorum matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excomunicationem latae sententiae Ordinario loci reservatam. Cf. Can. 2388, § 2.

143 Quo magis sorores, ob vitae genus quod ducunt, cum hominibus saecularibus conversantur et quo minus extrinsecus, cum nullum habitum religiosum gestent, proteguntur; eo maiore cum studio curent in virtute castitatis confirmari: nullis periculis eam exponendo, quamcumque eius maculam diligenter praecavendo, atque opportuna media adhibendo ad eam conservandam colendamque.

144. Ad hanc virtutem angelicam tuendam colendamque plurimum quamque sororem iuvabit corporis sensuumque mortificatio; oculorum, mentis, imaginationis affectuumque custodia; interior et exterior modestia, animi frequens ad Deum elevatio Eiusque praesentiae recordatio; fuga otii, confabulationum, praesertim mundanarum futiliumque, periculosae et inutilis lectionis, periculosae conversationis.

145. Vitent superfluas et inutiles visitationes, singularia urbanitatis et affectuositatis signa. Praesertim cum viris agendo caveant nimiam familiaritatem sintque prudenter cautae. Sine iusta causa ne umquam sola cum solo maneant colloquanturque; praesentibus viris, semper debitam modestiam gravitatemque prae se ferant.

146. Etiam inter se vitent sorores omnem nimiam familiaritatem et affectuositatem atque amicitias particulares; caritatem mutuam vel maxime inter se foveant, at sit illa spiritualis et universalis, hoc est aequo iure ad omnes sese extendat omnesque amplectatur.

147. De quocumque periculo externo, quod virtuti castitatis immineat, semper superiorissae certiores sunt reddendae.

148. Diligenter advertant moderatrices, ne ullam sororem in tantae virtutis discrimen praecipitent aut in eo positam negligant; hinc omnia vel minima scandala abscindant et quamlibet in hoc genere suspectam, matura prius consideratione adhibita, quantocius corrigant, amoveant et alio mittant; bene tamen attendant, ne hac in re levibus suspicionibus moveantur.

CAPUT X.

De voto et virtute paupertatis

I.

149. Per votum simplex paupertatis soror abdicat a libera administratione suorum bonorum temporalium et dispositione de eorundem usu et usufructu et renuntiat iuri licite disponendi in futurum de re quacumque temporali, sine licentia legitimorum superiorum.

150. Itaque ante professionem votorum novitia debet, ad totum tempus quo votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit, etiam propriae Congregationi praemonitae et acceptanti, et de eorundem usu et usufructu libere disponere, etiam in favorem suae Congregationis, si ita pro sui arbitrio existimaverit. Actus huius cessionis ac dispositionis conficiatur in scripto, etquidem, quantum fieri potest, ita ut etiam iure civili effectum consequatur. Cf. Can. 569, § 1; 1513.

151. Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas supra n. 150 statutas, non obstante simplici professione emissa. Can. 569, § 2.

152. Novitia ante professionem votorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat. Can. 569, § 3.

153. Quaelibet professa a votis sive perpetuis sive temporariis conservat proprietatem quam dicunt radicalem bonorum suorum et capacitatem allia bona acquirendi, salvis quae in nn. 150—152 constitutionum praescripta sunt. Can. 580, § 1.

154. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit. Can. 580, § 2.

155. Cessionem vel dispositionem, de qua in n. 151 constitutionum, professa mutare potest, non quidem proprio arbitrio sed de Moderatricis Generalis licentia; sed si haec mutatio, saltem de notabili bonorum parte, fiat in favorem religionis, requiritur licentia Sanctae Sedis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac. dispositio habere vim desinit. Cf. can. 580, § 3.

156. Professis non licet:

1-o per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare;

2-o testamentum conditum ad normam n. 152 constitutionum mutare sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superiorissae maioris, si nec illa adiri possit, localis. Can. 583.

157. Non licet igitur professis, proprio arbitratu, sine legitimarum Superiorissarum licentia, quamcumque rem temporalem possidere vel retinere, salvo n. 153 praescripto, administrare, ea uti, de ea disponere, eam accipere, expendere, donare, emere, vendere, alienare, commodare, permutare, transformare, destruere.

158. Curabunt sorores, ut ad omnes illos actus specialem legitimorum superiorum licentiam obtineant, sed generalem quoque ad nonnullos illos actus licentiam ab eis obtinere possunt ad tempus.

159 In casibus urgentioribus et improvisis sufficiat licentia etiam praesumpta, in qua quaevis soror acquiescere potest, negotio mature coram Deo perpenso; de qua re postea rationem reddat Superiorissae.

II.

160. Vita communis accurate ab omnibus sororibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent. Congruit tamen singulis, in communi quidem custodia, sed separatim servare et distribuere vestes stricti usus personalis. Cf. Can. 594, § 1.

161. Quidquid a sororibus, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam n. 154 constitutionum, bonis domus, respective provinciae vel Congregationis, admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque tituli in capsa communi deponantur, Can. 594, § 2.

162. Ne quae soror igitur. audeat quidpuam ex eiusmodi bonis sibi appropriare, apud se retinere, vel occultare sine scitu et licentia Superiorissarum.

163. Sorores legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et si superiores sint, etiam officii. Can. 2389.

III.

164. Virtutem quoque paupertatis sorores assidue colant diligenterque in praxim deducant et, quod praecipuum in ea est, cor suum a quibuscumque divitiis, a quocumque bono materiali avellere studeant ac paupertatis spiritum in se foveant.

165. Supellex, victus, vestitus et omnia, quibus sorores, permittentibus superiorissis, utuntur, paupertati, quam professae sunt, conveniant; sed ex altera parte nihil sororibus denegetur quod revera sit necessarium ad vitam convenientem agendam et munera commissa adimplenda Cf. Can. 594, § 3.

166. Quae illis ad usum fuerint concessa, diligenter, munde, integre et, quantum fieri potest, diuturne conservent curentque, ne quid culpa vel negligentia earum pereat aut corrumpatur.

167. MunditIes religiosa in omnibus curetur, sordida paupertas nemini placeat.

168. Superiorissae ex una parte materna cum sollicitudine operam dent, ut veris sororum necessitatibus tum quoad supellectilem, tum quoad vestitum, victum aliasque res, quantum fieri potest, satisfiat; ex altera autem parte invigilent, ne quid in istis rebus superflui irrepat, sed ut omnia spiritui paupertatis correspondeant.

CAPUT XI.

De pietatis officiis et exercitiis.

169. Quotidie haec pietatis exercitia sedulo peragant:

1-o Convenientes breves actus precesque matutinas et vespertinas dicant;

2-o Meditationi per dimidiam horam vacent, quantum fieri potest mane;
3-o Legitime non impeditae Missae sacrificio intersint, ac saltem spiritualiter sacram Communionem recipiant;
4-o Officium Parvum de B. Maria V. aut 12 Pater, Ave et Gloria, persolvant;
5-o Hymnum "Veni Creator", Litanias SS. Nominis Jesu et Psalmos „Miserere" et „De profundis" dicant;
6-o Lectioni spirituali ex libris approbatis per qindecim minuta usque ad dimidiam horam incumbant; diebus quibus exhortationem piam, concionem, vel doctrinae christianae aut Constitutionum expositionem audiunt ad lectionem spiritualem non tenentur;
7-o Examen conscientiae generale et particulare bis in die faciant;
8 o Adorationem SS. Sacramenti aut piam meditationem tempore cuique opportuno per quadrantem instituant;
9-o Tertiam Rosarii partem cum Litaniis Loretanis recitent devote considerando convenientia mysteria;
10-o „Angelus Domini", tempore autem paschali „Regina coeli", ter in die recitent;
11-o Ante et post mensam breves orationes dicant.

170. Ad poenitentiae sacramentum sorores ordinarie semel in hebdomada accedant. Can. 595, § 1, n. 3.

171. Ad Sanctissimam Eucharistiam frequenter, imo etiam quotidie, iuxta confessarii iudicium, rite dispositae accedant; curent ne praesertim diebus: dominicis, festis et SS. Patronorum Congregationis S. Communionem omittant; atque tum praeparationem ante, tum gratiarum actionem post sumptam Eucharistiam per congruum tempus faciant. Cf. Can. 863, 595.

172. Superiorissae vero suas inter subditas promoveant frequentem, etiam quotidianam, Sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad Sanctissimam Eucharistiam sororibus rite dispositis libere pateat. Can. 595, § 2.

173. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosa communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superiorissa potest eam, ne ad sacram Communionem accedat, prohibere. Can. 595, § 3.

174. Quovis mense per unum diem recollectioni sacrae vacent.

175. Quotannis omnes, in communitate vel separatim, tempore a Superiorissis statuto, exercitiis spiritualibus vacent per octo dies. Cf. Can. 595, § 1, n. 1.

176. Mense martio usitatam devotionem ad S. Joseph, maio — ad B. V. Mariam, iunio — Sacratissimi Cordis Jesu, octobri — SS. Rosarii celebrent.

177. Quavis prima feria V cuiusvis mensis adorationem Sanctissimi Sacramenti per integram horam instituant.

178. Singulis feriis VI Quadragesimae „Viam Crucis" peragant, singulis vero feriis VI extra tempus Quadragesimale, tertia hora post meridiem, brevi oratione Agoniae Christi super Cruce memoriam recolant.

179. Brevi devotione novendiali sorores se praeparent ad celebranda festa: Nativitatis Domini, Nominis Jesu, Pentecostes, SS. Cordis Jesu, B. Mariae V. Auxiliatricis fidelium, B. Mariae V. Immaculatae Conceptionis, S. Joseph, S. Francisci, S. Teresiae; tribus autem diebus ante IV feriam Cinerum devotionem expiatoriam instituant.

180. Possunt sorores ex confessarii consilio facere etiam alia pietatis exercitia, sive ad tempus sive constanter, si id ad earum profectum spiritualem futurum esse utile censeatur. Monentur tamen sorores, ne externa pietatis exercitia nimis multiplicent, neve devotiones ab Ecclesia non approbatas in communitate exercendas introducant.

181. Superiorissae curent invigilentque, ut omnes sorores in pietatis officia, quae constitutionibus praescripta sunt, diligenter et sedulo incumbant; cuique congruum tempus liberum ad eadem peragenda concedant, ne qua praesertim lectione spirituali et oratione mentali privetur, Cf. Can. 595.

182. In suis precibus sorores commendent Deo necessitates S. Matris Ecclesiae, Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Ordinarii loci, cleri; propriae Congregationis, Superiorissarum singularumque sororum; pariter atque parentes, consanguineos et benefactores; suas alumnas ceterasque suae curae commissas personas. Curent quoque suis precibus et suffragiis auxilium ferre animabus in purgatorio detentis.

183. Curent sorores suas orationes suos labores, poenitentias aliaque bona opera offerre Deo pro Ecclesia et statu ecclesiastico atque ea peragere cum intentione satisfaciendi pro iniuriis quae Ei praesertim ab opificum classe irrogantur.

184. Sorores magni faciant ac lucrandas pro posse studeant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, culpam quod attinet, iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii. Can. 911.

CAPUT XII.

De mortificationibus.

185. Imprimis sorores abstinentias et ieiunia omnibus fidelibus ab Ecclesia praescripta iuxta probatas locorum consuetudines fideliter servent; praeterea a carnibus abstineant quibusvis feriis IV et sabbatis exceptis casibus cum in istos dies aliquod festum incidat; tum etiam a lacticiniis abstineant feria IV Cinerum et feria VI Maioris

Hebdomadae, quo die in solo pane et aqua ieiunient; denique servent ieiunium in pervigiliis festorum Nominis Jesu, B. Mariae V. Auxiliatricis fidelium, Praesentationis B. Mariae V., Immaculatae Conceptionis, atque S. Francisci et s. Teresiae.

186. Sorores tamen, quae aegrotant vel extra religionis domum sunt, ab ieiuniis et abstinentiis quae solis Constitutionibus praescribuntur, liberae sunt.

187. In memoriam Passionis D. N. Jesu Christi commendatur sororibus ut singulis feriis VI in anno, exceptis festis, adhibeant disciplinam.

188. Praeter ea quae supra n. 185 et 187 dicta sunt, sororibus nulla alia ordinaria ieiunia, abstinentiae, vigiliae, corporis castigationes vi constitutionum subeunda sunt; sed illas sibi quaeque mortificationes corporales assumat, quas sibi discretus zelus suggesserit et quas ad sui spiritus profectum magis utiles esse iudicaverit.

189. In mortificationibus seu poenitentiis corporalibus privatim exercendis, sorores semper consulant confessarium, cuius iudicio omnino regantur; pro externis autem et publicis poenitentiis seu mortificationibus, insuper moderatricis localis licentiam exquirant.

190. Victus moderatus sit sed sufficiens; tum qualitas tum quantitas ciborum iuxta probatas locorum consuetudines aut valetudinis exigentias praebeatur, ratione religiosae frugalitatis habita; sorores ubique temperantiae et sobrietati studeant.

191. Quantum fieri potest, mensa communi sint contentae neve ullos cibos extra horas statutas sumant sine necessitate et superiorum licentia.

192. Sorores ter vel quater in die cibo sese reficere possunt.

193. Dormiant a septem ad octo horas, nisi cui moderatrix id temporis spatium protrahere aut coarctare vel etiam interdiu quietem capere concesserit.

194. Ne umquam sorores externam corporis sensuumque mortificationem praetermittant; potissimum tamen internae mortificationi dent operam: suas passiones, concupiscentias, desideria, propensiones et inclinationes strenue et constanter temperando, suae menti, imaginationi et cordis affectibus assidue invigilando.

195. Passivae quoque mortificationi in Domino se submittant: varia mala, quae Deus permittit, mundi persecutiones, vitae molestias et incommoda laborum et munerum defatigationes et difficultates, corporis morbos, dolores et infirmitates, animi tribulationes, alias quascunque cruces — submisse, patienter et fortiter in Domino tolerando in spiritu poenitentiae et suimet ipsius sacrificii.

CAPUT XIII.

De adiumentis pro tuenda disciplina et vita spirituali.

Articulus I.

De clausura et egressu e domo.

196. In omnibus domibus, quantum fieri potest, etiam non formatis, saltem aedis pars pro solis sororibus reservetur, in quam nemo, praesertim alterius sexus, admittatur, nisi ii quos ex iusta et rationabili causa Superiorissa admitti posse censuerit. Cf. Can. 604, § 4.

197. Immediatae Superiorissae maioris erit huius clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare. Cf. Can. 597, § 3.

198. Fideliter adimpleant etiam, si quae sint, ordinationes Ordinarii loci cuius quoque est curare atque advigilare, ut haec clausura partialis rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii corrigatur. Cf. Can. 604, § 3.

199. Quantum fieri potest, prope domus ianuam constituatur collocutorium pro extraneis excipiendis; nulla excipiat extraneas personas invisentes nisi de licentia Superiorissae. Cf. Can. 597, § 2.

200. Omnes sorores, praesertim Superiorissae, sedulo advigilent, ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur. Can. 605.

201. Ne quae soror extraneis sive Congregationis sodales earumque nomina sive quae in domo religiosa acta vel agenda sunt evulget, nisi Superiorissa id probaverit; neve perceptos rumores saeculares in domo inutiliter repetant et spargant

202. Sine scitu et permissione Moderatricis ne liceat cuique sorori, etiam ad breve tempus, e domo exire, neque quemquam invisere neque invisentem recipere.

203. Sorores missae extra domum ne ad ulla loca vel domos accedant aut negotia quaecunque alia tractanda suscipiant, nisi quae fuerint iis specialiter comissa; et si quando casus aliter attulerit, in reditu hac de re Moderatrici fideliter rationem reddant, salvo praescripto in n. 539 constitutionum.

204. Sorori extra domum pergenti Superiorissa, pro sua prudentia et pro necessitate, sociam assignare poterit. Cf. Can. 607.

205. Vespere statuta hora ianuae domus occludendae sunt et claves apud ianitricem servandae sunt.

206. Superiorissae curent, ut accurate observentur quae sive circa egressum subditarum e domo, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos in propriis constitutionibus praescripta sunt. Can. 606, § 1.

207. Superiorissis fas non est permittere, ut subditae extra domum propriae Congregationis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius; pro absentia vero quae sex

menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur. Can. 606, § 2.

Articulus II.

De ordine servando

208. Singulae res in domo assignatum sibi locum habeant et alicui sorori demandentur, quae earum curam habeat, ne pereant, sed ut semper ordinatim collocatae sint. et ut quae destructae vel corruptae sint, suo tempore reparentur.

209. In quavis domo statuatur tempus, quoad fieri potest, cubandi, surgendi et edendi, ordo exercitiorum pietatis et occupationum.

210. Statuto tempore Moderatrix assignet subditis officia, occupationes et ministeria ad adimplendum.

211. Sorores accuratam diligentiam servabunt: in observando praescripto ordine diurno, in obeundis singulis suis muneribus, in negotiis mandatisque acceptis exequendis, in conficiendis et redendis rationibus accepti et expensi, in conficiendis inventariis rerum quae earum usui vel dispensationi datae aut curae commissae sunt, in rescribendo ad epistolas.

212. Ne ulla in alterius officium se ingerat, neve in locum alicuius ministerio vel laboribus specialiter reservatum sine licentia ingrediatur.

Articulus III.

De silentio servando et recreatione

213. Silentium in locis orandi semper, in aliis locis a precibus vespertinis ad preces matutinas servandum est. Praeterea moderatrices locales possunt designare convenientia temporis intervalla et locum pro silentio diurno servando, discrete, ratione habita circumstantiarum loci et naturae occupationum; insuper magnopere commendatur sororibus moderamen et circumspectio in loquendo pariter atque animi recollectio.

214. Omnes curent communi recreationi interesse; quod si aliquae legitime impediantur, hoc temporis intervallum transigere possunt sese recreando vel colloquendo in eo loco et cum eis personis, quibuscum commorantur. Diebus festis vel occurrentibus specialibus circumstantiis Moderatrix potest concedere aliquam recreationem extraoridinariam.

215. Tempore prandii et coenae, ubi fieri potest, ordinarie lectio fiat.

Articulus IV.

De epistolis

216. Litteras a sororibus mittendas et ad ipsas missas excipiat superiorissa localis, quae eas sua discretione legere poterit; qua facultate cum moderamine prudentiae et caritatis utatur, secreto servando.

217. Omnes sorores libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprias Superiorissas maiores, ad Superiorissam domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiectae sint; et ab istis omnibus litteras item nemini inspiciendas recipere. Cau. 611.

Articulus V.

De ratione reddenda et mutuis monitionibus exercendis.

218. Quaevis soror saltem quovis tertio mense moderatrici rationem reddat de exteriore observantia, de suis operibus et occupationibus, deque exterioribus suis difficultatibus vel necessitatibus, salvo praescripto in n. 219 constitutionum.

219. Omnes Superiorissae districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam; non tamen prohibentur subditae quominus libere ac ultro animum suum eisdem aperire valeant. Can. 530.

220. Moderatrices sedulo advigilent, ne qui abusus vel constitutionum transgressiones in domos earum curae commissas irrepant; ne vitiis subditarum conniveant, sed errantes omni cum prudentia et caritate, seposita quacumque personarum acceptione, tempestive admoneant et corrigant. Etiam ipsae sorores, servatis debito ordine et caritate, invicem evangelicam admonitionem et correctionem exerceant.

221. Si quae soror aspexerit, aliquas maioris momenti transgressiones et abusus in domum irrepere, vel in aliqua re maioris momenti religiosam observantiam et disciplinam non servari, re bene coram Deo perpensa, sine mora de hisce Superiorissam si id neccessarium esse videatur, etiam maiorem, certiorem reddat.

Articulus VI.

De remediis poenalibus et poenitentiis.

222. Ad delicta subditarum et transgressiones tum praecavendas tum coercendas Superiorissae, pro sua prudentia, adhibeant etiam remedia poenalia et poenitentias.

223. Remedia poenalia sunt:

1-o Monitio;

2-o Correptio;

3-o Praeceptum;

4-o Vigilantia. Can. 2306.

224. Eam sororem quae versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quam gravis suspicio, eaque probata, cadit delicti commissi, Superiorissa per se vel per aliam sororem moneat. Can. 2307.

225. Si ex alicuius sororis conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, a Superiorissa per se vel per aliam sororem, etiam per epistolam faciendae; sed correptio publica tantum adversus ream de delicto convictam vel confessam fieri potest. Cf. Can. 2308; 2309, § 3.

226. Tam correptio quam monitio etiam saepius iterari possunt pro Superiorissae arbitrio et prudentia. Cf. Can. 2309, § 6.

227. Monitionibus et correptionibus in cassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventa debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis. Can. 2310.

228. Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de ea quae in periculo versatur relabendi in idem crimen, eam Superiorissa submittat suae vel alicuius sororis vigilantiae. Can. 2311, § 1.

229. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta:

1-o Recitandi determinatas preces;

2-o Peragendi alia quaedam pietatis opera;

3-o Adimplendi quaedam opera et ministeria domestica;

4-o Servandi peculiare ieiunium;

5-o Non participandi in quibusdam communitatis actibus;

6-o Peragendi exercitia spiritualia per aliquot dies. Cf. Can. 2313.

230. Ob delictum aut transgressionem occultam unquam poenitentia publica imponatur; poenitentiae vero secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis delicti adiunctis. Cf. Can 2312, § 2 et 3.

231. Poenitentias Superiorissa pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis. Can. 2313, § 2.

232. Meminerint Superiorissae se matres esse atque ita sibi subditis praeesse oportere, ut non in eis dominentur, sed illas tamquam filias et sorores diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eas poenis coercere cogantur; quas tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia. cum saepe plus erga corrigendas agat benevolentia quam austerietas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicta et transgressiones animadversione opus erit, tunc cum mensuetudine rigor, cum misericordia aequitas, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, sodalibus salutaris ac necessaria, conservetur et quae correctae fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceterae, salubri in eas animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur. Cf. Can. 2214, § 2.

Articulus VII.

De Capitulo culparum.

233. Altera quavis hebdomada sorores habeant capitulum culparum, in quo singulae suas Constitutionum transgressiones externas et publicas profiteantur atque pro eis quandam moderatam poenitentiam obtineant. In novitiatu autem Capitulum culparum fiat quavis hebdomada. De transgressionibus et poenitentiis in capitulo auditis sororibus ne inter se quidem colloqui fas est.

CAPUT XIV.

De adiumentis ad finem specialem assequendum.

234. Sorores ad perfectionem tendant etiam in suis officiis es muneribus adimplendis, in suis institutis dirigendis et perficiendi, operibus, quae Dei gloriam et proximorum utilitatem susceperintt ut sub hoc quoque respectu non modo inferiores personis in saeculo viventibus ne sint, sed etiam, quantum poterunt, ut eisdem exemplo et aedificationi esse possint.

II.

235. Jam tempore postulatus et novitiatus diligenter inquirendum est quaenam sint naturales inclinationes candidatarum, quasnam acceperint illae a Deo dotes et talenta, ut haec prudenter excoli et serius ad maiorem Dei gloriam et proximorum bonum convenienter adhiberi possint.

236. Facta prima professione, praeter ulterius perfectionis studium virtutumque exercitium, quod semper primo loco est ponendum, professae, quae ad magisterium destinantur, per aliquod tempus, prout opus erit iuxta maiorum Superiorissarum ordinationem, necessariis studiis peragendis vel artibus addiscendis vacent; praesertim ne praetermittant pleniore religionis doctrina excoli.

237. Quantum fieri potest, alumnae in propriis Congregationis scholis vel institutis instruantur aut, si id fieri nequit, saltem mittantur ad recte ordinata instituta catholica vel athenaea in eo ipso loco existentia, ubi propriam domum Congregatio habet, in qna studiosae habitare possint. Cf. Can. 587, § 1, 3.

238. Si quae forte studiorum causa ob valde graves rationes longe a propria domo mittendae sunt, in privatis domibus ne habitent, sed apud religiosarum aliquod institutum aliamve piam domum. Cf. Can. 587, § 4.

239. Toto studiorum curriculo alumnae speciali curae studiorum Praefectae committantur. quae earum animos ad vitam religiosam ulterius informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus. Can. 588.

240. Studiorum tempore alumnis officia ne imponantur quae a studiis eas avocent vel scholam quoque modo impediant; Suprema autem Moderatrix et in casibus particularibus aliae quoque Superirissae possunt pro sua prudentia eas a nonnullis communitatis actibus eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur; sed simul Superiorissae sedulo invigilent, ut studiosae praescripta in constitutionibus pietatis officia adimpleant. Can. 589, § 2; 588, § 3.

241. Sed etiam absolutis studiis, sorores, praesertim quae specialiter instructioni vacant, ulteriorem suae mentis culturam ne intermittant, imo obviis sibi mediis eam promovere studeant, quo perfectius munus sibi demandatum adimplere valeant.

242. Sorores qnae in scholis et asylis praesertim rusticanis operam navant pro posse studeant acquirere etiam varias practicas notitias quae oeconomiam domesticam, hygienam spectant atque addiscere varia rusticis utilia opera manualia.

III.

243. Primo loco ponant educationem et institutionem infantium, puellarum et adolescentularum praesertim ad classem opificum pertinentium.

244. Operam dent maximam, ut instructio in suis scholis et institutis fiat summa cum diligentia, cum rei cognitione et peritia, accurate, secundum praescripta programmata et superiorum ordinationes, praecipue vero ut in religionis principiis fundetur. Cf. Can. 1372.

245. Praeprimis curent suas alumnas in rebus fidei et morum instruere atque ad virtutum christianarum et pietatis exercitium easdem inducere; nihil omittant, ut pietatem erga Sanctissimam Eucharistiam in alumnarum animis excitent, easque praesertim hortentur, ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae secrificio assistant et Sanctissimum Sacramentum visitent. Cf. Can. 1372 — 1373; 1273.

246. Invligent quoque sedulo suis alumnis easque tueantur, ne quam offensionem seu scandalum incurrant vel quod perniciosum exemplum offendant.

247. Non solum parvulas, sed etiam adultas personas data occasione sorores curabunt instruendas tum in rebus practicis tum praesertim in rebus fidei et morum; tradendo catechismum, praeparando ad s. sacramenta suscipienda, iuvando in peragendis exercitiis spiritualibus, instituendo communem lecturam bonorum librorum et alia id generis, — sub directione Ordinarii et parochi loci praesertim ab eisdem requisitae. Cf. Can. 608; 1334; 1336.

248. Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae populum in christiana doctrina instituendum spectent; sorores in tradenda doctrina christiana eadem praecepta osbervare tenentur; quae docent eam, necesse est, ab Ordinario loci facultatem et missionem receperint. Cf. Can. 1336; 1328.

249. Instruendo proximos in rebus spiritualibus ne negligant instruere eos pro posse etiam in rebus, quae ad bonum temporale pertinent atque monstrare eis modum et viam etiam materialem suum statum meliorem faciendi: instituendo ad hunc scopum assequendum colloquia practica et praelectiones, propagando utiles et bonos libros et ephemerides, fundando societates et circulos catholicos aliaque similia media adhibendo, quae caritas christiana sugesserit.

IV.

250. Ad quodlibet munus et ministerium obeundum, sorores praevio labore sollicite et diligenter se praeparent et exerceant; atque cuilibet operi adimplendo gloriam Dei prae oculis habentes totas se tradant, tamen sine orationis, devotionis nec non corporis sanitatis detrimento.

251. Cum aliqua soror nimio labore se oneratam esse vel ob multitudinen occupationum se sua pietatis officia rite adimplere non posse senserit, id Superioribus suis candide et sincere fateatur.

252. Omnes, quamdiu corpore valent, curent, ut semper habeant, in quo utiliter occupentur quaevis pro suarum virium et ingenii, artis et muneris ratione atque Superiorum dispositione; omne vero otium diligenter fugiant.

253. Ne quae soror corporis et manuum operam licet humillimam spernat, immo vero magni eam faciat et lubens ad peragendum suscipiat. Etiamsi aliqua soror instructioni et studio ordinarie sit dedita, nihilominus tamen aliquod manuale opus assignatum sibi habeat quod opportunis temporis intervallis peragat; studeant quoque etiam suas alumnas laboriositatis amore imbuere easque exercere ad propria illis opera et ministeria peragenda.

V.

254. Sorores ne edant libros religiosi et moralis argumenti nisi Superiorissae maioris licentia et censura ecclesiastico loci Ordinarii praecesserit ad normam sacrorum canonum. Vetantur pariter sine Superiorissae maioris et Ordinarii loci libros quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari. Cf. Can. 1385; 1386.

255. Libros pravos, praesertim prohibitos, et ipsae sorores ne legant et alios ab earum lectione pro viribus avertere studeant.

CAPUT XV.

De infirmarum cura.

256. In omnibus domibus, in quibus commode fieri poterit, pars quaedam ad hoc apta reservetur pro infirmis curandis. Si id fieri non potest, curandum est, ut soror infirma saltem ab aliis separetur.

257. Una soror, caritate et aptitudine praecellens, curatrix infirmarum designetur, quae infirmis omnia servitia et obsequia praestet, quibus indigent. Ipsius, sub dependentia moderatricis domus et una cum ea, erit omnia necessaria alimenta infirmis subministrare et aliis earum iustis necessitatibus et commodis prospicere, non parcendo expensis, etiamsi valentibus aliquid subducendum sit. Infirmae vero suas exigentias in spiritu paupertatis et obedientiae moderentur atque tum ipsum morbum, tum rerum penuriam, si quae sit, cum patientia et divinae voluntati submissione tolerent.

258. Si quae soror praeter solitum male se senserit, id curatrici infirmarum aut moderatrici candide referat. Statim ac necessarium esse videbitur, medicus vocetur ac secundum eius ordinationes procedatur; nulla vero soror proprio marte et arbitratu sive medicinam sumat sive medicum eligat consultatque.

259. Non minori cura etiam spiritualia alimenta infirmis praestentur. Hinc tempestive confessarius vocetur, et quidem ille quem infirma ultro interrogata maluerit; et toties adsciscatur, quoties infirma desideret ad normam n. 540 constitutionum. Pro sacra Communione administranda acquiescendum est iudicio confessarii. Cf. Can. 523, 864, § 1.

260. Infirmae quae iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio Sanctissimam Eucharistiam sumere possuut semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea, nempe post mediam noctem, sumpserint. Can. 858.

261. Etiamsi eadem die soror communione fuerit refecta, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducta denuo communicet. Can. 864, § 2.

262. Perdurante mortis periculo, Sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet. Can. 864, § 3.

263. Extrema quoque Unctio praebeatur sorori quae ob infirmitatem vel senium in periculo motris versetur. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirma post susceptam Unctionem convaluerit et in allud vitae discrimen inciderit. Can. 940.

264. Sanctum Viaticum et Extrema Unctio infirmis ne nimium differantur et personae, quae aegrotarum curam gerunt, sudulo advigilent, ut eis infirmae, dum sui plene compotes sunt, reficiantur Can. 865; cf. can. 944.

265. Jus et officium Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem infirmis ministrandi spectat ad parochum loci vel ad capellanum, si eum Ordinarius parocho suffecerit, ad normam n. 369 constitutionum et sacrorum canonum. Can. 514, § 3; cf. can. 464, § 2

266. Instante morte, sacerdos vocetur, qui curam habeat iuvandi morientem, absolutionem ei impertiat, et eius animam commendet, iuxta modum in Rituali descriptum.

CAPUT XVI.

De sepultura et suffragiis pro defunctis.

I.

267. Sororum cadavera sepeliantur in coemeteriis paroecialibus, in quibus tamen ex licentia scripta Ordinarii loci eiusve delegati Congregatio potest separatum locum sibi reservatum habere pro sororum sepulcris; immo de licentia eiusdem Ordinarii etiam peculiare sepulchrum exta commune coemeterium positum et ad instar coemeterii benedictum; in ecclesiis sorores ne sepeliantur. Cf. can. 1205, 1208, 1209.

268. Professae et novitiae, defunctae cum sint, transferendae sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitiae aliam ecclesiam ad suum funus elegerint. Can. 1221, § 1.

269. Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam seu oratorium suae domus val saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandae sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitia aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superiorissarum maiorum iure transferendi cadaver defunctae in religionis ecclesiam seu oratorium, susceptis translationis expensis. Can. 1221, § 2; 1218, § 3.

270. Quae de novitiis supra in nn. 268—269 dicta sunt, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; quae tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandae sunt a parocho loci, sicut ceteri fideles, ad normam sacrorum canonum. Can. 1221, § 3.

271. Quod attinet ad defunctas quae in domo religiosa vel collegio degebant ratione hospitii, educationis vel infirmitatis, quoad funerationem aequiparantur personis saecularibus ac sepeliendae sunt a parocho loci secundum ius commune. Cf. Can. 1222.

272. Professas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferant aliae sorores; indeque, si de domo agatur iurisdictioni parochi non obnoxia, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exequias peragit capellanus; si agatur de domo religiosa iurisdictióni parochi loci non subducta, hic habet ius et officium levandi per se vel per alium cadaver et exequias persolvendi; quod vero ad sorores attinet extra domum defunctas, serventur generalia sacrorum canonum praescripta. Cf. can. 1230, § 1, 5.

273. Qui exequias in ecclesia vel oratorio peragit, excepto gravi necessitatis casu, comitatur quoque per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae. Cf. Can. 1231, § 2.

274. Sorores professae, superiorissis non exclusis, prohibentur ecclesiam funeris et sepulturae coemeterium eligere. Can. 1224, § 2.

II.

275. Post obitum cuiusque sororis in loco ubi defuncta est vel in domo cui ultimo adscripta erat, quinque Missae pro eius anima celebrentur quantum fieri potest, die obitus, depositionis, septima, trigesima post obitum et in anniversario. Praeterea omnes sorores provinciae, cui defuncta adscribebatur, per triginta dies ordinaria sua Rosaria, sacras communiones et Missas quibus intersunt pro eius anima offerant. Quotidie quoque sorores pro omnibus defunctis sodalibus dicant psalmum: „De profundis".

276. In quavis domo quotannis post festum S. Francisci Seraphici dicatur una Missa pro omnibus Congregationis sororibus defunctis, atque una Missa in domo principali pro sororum parentibus, consanguineis et benefactoribus vivis ac defunctis.

277. Post Capitulum Generale electionum Curia Generalis curat ut pro defunctis sororibus Missa celebretur et ut omnes sorores hac intentione ad sacram Communionem accedant.

278. Post obitum Summi Pontificis in omnibus Congregationis domibus, post obitum vero Ordinarii loci in domibus eius dioecesis sorores offerant pro defuncto per hebdomadam ordinaria sua Rosaria, sacras communiones et Missas, quibus assistunt.

279. Die Commemorationis OO. Fidelium Defunctorum et septem sequentibus diebus nec non per totum mensem novembrem sorores speciali cum devotione pro fidelibus defunctis orent.

CAPUT XVII.

De privilegiis.

280. Congregatio Sororum Nominis Jesu sub patrocinio B. Mariae V., fidelium Auxiliatricis, iis tantum privilegiis gaudet, quae vel in Codice Juris Canonici continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint; exclusa qualibet communicatione. Cf. Can. 613, § 1.

I.

281. Status religiosus ab omnibus in honore habendus est; omnes sacrilegii delicto se commaculant, si quando religiosis personis realem iniuriam scienter intulerint; qui violentas manus in personam religiosam iniecerit, subiacet ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea alliis poenis, si res ferat, reum punire potest. Cf. Can. 487; 614; 119; 2343, § 4.

282. Religiosae personae in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit; Moderatrix Generalis, ob negotia ad ipsius munus pertinentia, apud iudicem

laicum conveniri nequit sine venia Sedis Apostolicae, ceterae sorores sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, non denegat sine iusta et gravi causa, tum maxime, cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Ordinario a quo venia obtenta non fuit. Cf. Can. 120; 614.

283 Si controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosas propriae Congregationis, aut inter religiosam et clericum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae est Ordinarius loci, secundae — Metropolita; religiosa forum habet in loco domus suae. Cf. Can. 1579, § 3; 1594, § 1; 1563.

284. Sorores sine Superiorissarum consensu non habent personam standi in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur:

1-o Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur;

2-o Si ipsae extra domum legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat;

3-o Si contra Superiorissam denuntiationem instituere velint. Can. 1652.

285. Superiorissae locales nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio, nisi de consensu Superiorissae Provincialis eiusque Consilii, aut saltem, si res urgeat, de consensu sui Consilii localis; quo in casu statim Superiorissa Provincialis de lite inchoata certior reddi debet; Superiorissa vero Generalis nomine Congregationis et Superiorissae Provinciales nomine suae provinciae nequeunt stare in iudicio nisi de consensu sui Consilii per secreta suffragia manifestato. Cf. Can. 1653, § 6.

286. Religiosis quae creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen earundem obligatione creditoribus quam primum satisfaciendi. Cf. Can. 122. 614.

287. Memoratis supra nn. 281, 282 et 286 privilegiis religiosa persona renuntiare nequit; sed eadem amittit si ad statum laicalem reducatur; recuperat vero, si ipsa rursus inter religiosas admittatur. Cf. Can. 123, 72, 614.

II.

288. Congregatio haec exemptionis privilegio non gaudet; Ordinarius tamen loci non potest:

1-o Constitutiones ullatenus immutare;

2-o De re oeconomica cognoscere salvo praescripto in n. 37, 361 et 362 constitutionum.

3-o Sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis et in constitutionibus indicatis. Cf. Can. 618.

289. Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis. Can. 620.

III.

290. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit sacerdos, qui regulariter saltem semel in hebdomada Missam in sacro loco celebret, custodiri potest in oratorio principali sive publico sive semi-publico domus religiosae, de licentia Ordinarii. Cf. Can. 126 5, § 1, n. 2.

291. In nullo oratorio privato eo magis nunquam in cellis privatis asservari potest Sanctissimum Sacramentum, nisi adsit specialis Sanctae Sedis permissio. Cf. Can. 1265, § 3; 1267.

292. In ipsa religiosa domo Sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio; ut insuper in alio quoque oratorio eiusdem domus asservari possit, requiritur specialis Sanctae Sedis licentia. Cf. Can. 1267.

293. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae vel oratorii altari, eoque prae omnibus aliis ornato, regulariter in altari maiore; servari debet in tabernaculo inamovibili in media ataris parte posito, affabre exstructo, undequaque solide clauso, decenter ornato ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuo. Cf. Can. 1268; 1269.

294. Coram tabernaculo, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarius loci permittere poterit, ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetalibus. Can. 1271.

295. In Congregationis ecclesiis aut oratoriis, quibus datum est asservare Sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest inter Missarum solemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus nonnisi ex iusta et gravi causa et de Ordinarii loci licentia. Can. 1274.

296. Supplicatio Quadraginta Horarum in ecclesiis et oratoriis publicis vel semi-publicis Congregationis, in quibus Sanctissimum Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de licentia et consensu Ordinarii loci diebus, maiore quae fieri potest solemnitate quotannis habeatur; et sicubi ob peculiaria rerum adiuncta nequeat sine gravi incommodo et cum reverentia tanto Sacramento debita fieri, saltem per aliquot continuas horas statis diebus, de licentia et consensu Ordinarii loci, Sanctissimum Sacramentum solemniore ritu exponatur. Can. 1275.

IV.

297. In omnibus domibus oratorium habentibus cum facultate Sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis

Domini, unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et Sacram Communionem petentibus ministrare. Can. 821, § 3.

V.

298. Novae indulgentiae, Congregationis alicui ecclesiae vel oratorio concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne promulgentur inconsulto Ordinario loci. Can. 919.

299. Sorores, quae in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint. Can. 929.

VI.

300. Sorores gaudent privilegio:

1-o Habendi peculiare sepulchrum, de licentia Ordinarii ad normam n. 267 Constitutionum:

2-o Funeris in propria ecclesia seu oratorio ad normam n. 268—271 Constitutionum. Cf. Can. 1208, 1209, 1221, 1222.

301. Congregatio priviliegio quaestuandi per se non gaudet; imo sorores stipem petere prohibentur, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio et praeterea sine licentia Ordinarii loci in scripto data, nisi aliter in ipso privilegio apostolico cautum fuerit. Cf. Can. 622, § 1.

CAPUT XVIII.

De transitu ad aliam religionem.

302. Etiamsi iusta de causa, servatis conditionibus debitis, transitus ab una religione ad aliam sit quidem licitus, tamen, ob incommoda haud parva, quae inde certo orientur, atque ob tentationes illusionesque, quae tali in casu facile adesse possunt, dissuadetur atque nec leviter nec facile peragendus est.

303. Soror professa nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, transire sine auctoritate Apostolicae Sedis. Can. 632.

304. Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipsa obligatione tenetur Superiorissis novae religionis et ipsi novitiarum Magistrae parendi etiam ratione voti obedientiae. Can. 633, § 1.

305. Si in religione, ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit. Can. 633, § 2.

306. Professa a votis perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis solemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum praetermissa professione temporaria, de qua in n. 93, vel admittatur ad professionem perpetuam, vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiorissae eam probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu. Suffragium Consilii in admittenda eiusmodi religiosa ad professionem perpetuam habeat vim deliberativam. Can. 634. (A. XIV, 528).

307. Transeuntes ad aliam religionem, ab edita nova prefessione:

1-o. Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis et alterius iura et officia suscipiunt;

2-o. Religio a qua bona servat, quae ipsius religionis ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si quae habet religiosa, servandum praescriptum in nn. 38 et 39; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam n. 80—82. Can, 635.

308. Solemnitas votorum in ea, quae legitime secundum praescripta supra n. 302—306 data vota simplicia in Congregatione nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud apostolico indulto expresse caveatur. Can. 636.

CAPUT XIX.

De egressu e religione.

I.

Legitime egredientes.

309. Professa a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest Congregationem deserere, pariter Congregatio ob iustas ac rationabiles causas eandem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam. Can. 637.

310. Indultum manendi extra claustra, id est extra Congregationis domos, sive temporarium, id est indultum exclaustrationis, sive perpetuum, id est indultum saecularizationis, sola Sedes Apostolica dare potest. Can. 638.

311. Quae indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstricta; perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae Congregationis, et Ordinario teritorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae Congregationis, subditur etiam ratione voti obedientiae. Can. 639.

312. Exclaustratio non est confundenda cum facultate manendi diutius extra domum religiosam ad normam n. 207 constitutionum ab Apostolica Sede concessa; per quam facultatem soror nullo modo eximitur ab obedientia suae Congregationis Superiorissis praestanda.

313. Quae, impetrato saecularizationis indulto, Congregationem reliquit:

1 o a sua Congregatione separatur et in usu Sacramentorum saecularibus assimilatur;

2-o a votis libera manet, nec constitutionibus adstringitur. Can. 640, § 1.

314. Si ex apostolico indulto in Congregationem rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professas obtinet a die novae professionis. Can. 640, § 2.

315. Quae e Congregatione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto egrediantur vel ex eadem fuerint dimissae, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam. Can. 643, § 1.

316. Si tamen soror sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, congregatio ex caritate eidem debet dare ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit. Can. 643 § 2.

II.

Illegitime egredientes.

317. Apostata a religione dicitur professa a votis perpetuis quae e domo illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel quae, etsi legitime egressa, non redit eo animo, ut religiosae obedientiae se subtrahat. Can. 644, § 1.

318. Malitiosus animus, de quo supra in n. 317. iure praesumitur, si soror intra mensem non reversa fuerit nec Superiorissae animum redeundi manifestaverit. Can. 644, § 2.

319. Fugitiva est, quae, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi. Can. 644‘ § 3.

320. Apostata et fugitiva ab obligatione constitutionum et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad religionem redire. Can. 645. § 1.

321. Superiorissae debent eas sollicite requirere, et ipsas, si vera poenitentia actae redeant, suscipere. Can. 645, § 2.

322 Apostata a religione ipso iure incurrit in excommunicationem Ordinario loci in quo commoratur reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusa, privilegiis omnibus suae Congregationis privata; et si redierit, nisi iam absolutionem obtinuerit, maneat excommunicata, donec ab Ordinario loci, ubi domus religiosa sita sit,

absolvatur, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superiorissis maioribus puniri debet. Can. 2385.

323. Fugitiva ipso facto incurrit privationem officii, si quod in religione habeat; cum autem redierit, a Superiorissa maiore pro gravitate culpae puniatur. Can. 2386.

CAPUT XX.

De dimissione sororum.

I.

Ipso facto dimissae.

324. Ipso facto habendae sunt tanquam legitime dimissae religiosae:

1 o Publicae apostatae a fide catholica;
2-o Religiosa quae fugam arripuerit cum viro;
3-o Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile. Can. 646, § 1.

325. In his casibus sufficit, ut Superiorissa maior cum suo Consilio emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus regestris asservare. Can. 646, § 2.

II.

De dimissione professarum a votis temporariis.

326. Regulariter professa a votis temporariis non est dimittenda antequam eius professio annua exspiraverit.

327. Sed etiam durante professione sororem a votis temporariis dimittere potest Moderatrix Generalis cum consensu sui Consilii, per secreta suffragia manifestato, exquisita prius sententia Superiorissae Provincialis eiusque Consilii. Cf. Can. 647, § 1.

328. Moderatrix Generalis cum suis Consiliariis, graviter earum onerata conscientia, professam dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur:

1-o Causae dimissionis debent esse graves;
2-o Possunt se habere sive ex parte Congregationis sive ex parte sororis. Defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

3-o Licet Superiorissae dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse, ut formali iudicio comprobentur. At sorori semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiorissae dimittenti fideliter subiiciantur;

4-o Contra dimissionis decretum est sorori facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; et pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum;

5-o Servari etiam debet praescriptum in n. 316 datum. Can. 647, § 2.

329. Eiusmodi causae esse possunt, exempli gratia: aptitudinis defectus ad obligationes proprii status adimplendas vel ad officia quamvis minora obeunda, vel ad vitam in communitate ducendam, ita ut professa votorum temporariorum potius oneri et perturbationi quam utilitati et aedificationi futura sit Congregationi; si malo exemplo identidem scandalum in domo vel, quod gravius est, extra domum dederit et vix ulla spes emendationis adsit; si parvipendat constitutiones saepe eas transgrediendo; verbo si cum morali certitudine iudicatur non idonea, quae inceptum curriculum laudabiliter persequi et ad Congregationis institutum vitam exigere valeat.

330. Professa a votis temporariis ad normam constitutionum nn. 327 et 328 dimissa ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis. Can. 648.

III.

De dimissione professarum a votis perpetuis.

331. Ad dimittendas professas a votis perpetuis exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit, iudicio Antistitae. Cf. Can. 651, § 1; 649.

332. Professae dimittendae ius est: suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt. Can. 650, § 3; 651, § 2.

333. Pro gravi causa dimissionis habendum est: gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra ius religiosis speciale propriasque constitutiones; vel graves defectus morales; verbi gratia: si quae professa graviter vota laedat, si obedientiam obstinate recuset, si contra morum honestatem gravius delinquat, si vitae communis leges graviter violet; si Congregationis constitutiones aperte contemnat easque propter contemptum observare aperte negligat; si contra Congregationem vel eius Superiorissas malas artes dolosque nectat; si continuo et graviter lingua peccet, nimirum calumnias discordiasque disseminando, quae domus vel Congregationis pacem graviter turbent; aliaeque similes rationes. Cf. Can. 656.

334. Dimissionem praecedant oportet duae admonitiones una cum incorrigibilitate, quae perversam voluntatem in malo pervicacem manifestet. Cf. Can. 657; 680.

335. Monitionibus Superiorissa addat opportunas exhortationes et correctiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem reae et scandali reparationem. Can. 661, § 1.

336. Praeterea tenetur Superiorissa ream ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio. Can. 661, § 2.

337. Singulis monitionibus adiiciatur dimissionis comminatio. Can. 661, § 3.

338. Si constiterint quae in nn. 333 — 337 constitutionum allata sunt, Moderatrix Generalis cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni. Can. 650, § 1.

339. Si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit, Moderatrix Generalis rem totam ad Sacram Congregationem Religiosorum deferat cum omnibus actis et documentis; Sacra autem Congregatio, quod magis expedire censuerit, in casu decernet, firmo praescripto n. 316 constitutionum. Can. 652, § 3.

340. In actis de quibus in. 339 indicetur quoque fideliter num persona dimittenda possit convenienti modo lucrari ea quae pro victu sunt necessaria.

341. In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, soror professa statim potest a Superiorissa maiore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorissam maiorem, a Superiorissa locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti; ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorissam maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur. Can. 653.

342. Si dimissionem professae a votis perpetuis ad normam nn. 331 — 341 Constitutionum peractam Sedes Apostolica ratam habuerit, dimissa, vi huius rescripti S. Sedis confirmantis dimissionem, ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis atque saecularizatur. Cf. Can. 669, § 1.

343. Dimissio sororis fiat, quantum fieri potest, cum caritate, sine laesione bonae eius famae, cum conversione et directione eius in bonam viam, ut votis religiosis soluta studeat in statu saeculari vitam ducere honestam ac virtuosam. Ceterae sorores ne reddantur certiores de dimissione, nisi in quantum id ad earum correctionem vel aedificationem necessarium esse videbitur.

PARS SECUNDA.

De regimine et structura Congregationis.

CAPUT XXI.

De suprema in Congregatione potestate deque iis qui eiusdem sunt participes.

Articulus I.

Sedes Apostolica.

344. Congregatio haec et omnes eius sodales praeprimis Summo Pontifici, qui Christi Domini in toto orbe terrarum est Vicarius, subduntur tamquam Supremo Superiori, cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae. Can. 499, § 1.

345. Sacra Congregatio, per quam Summus Pontifex religiosarum personarum negotia tractare solet, est S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita:

1-o Haec S. Congregatio ea sibi exclusive vindicat quae respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosarum personarum, incolumi iure Congregationis de Propaganda Fide;

2-o Quaestionibus ordine iuridico tractandis ad tribunal competens remissis et incolumi semper iure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari dirimit; sed si quaestio versatur inter personam religiosam et non religiosam, ipsa, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum iudicaverit, eandem quaestionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere.

3-o Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis. Can. 251.

346. Sanctam Sedem Apostolicam sorores quam maximo obsequio, amore ac pietate prosequantur, cum ea recte in omnibus sentire eiusque votis obsecundare studeant atque fideliter ad eam recurrant cum id requiritur sacris canonibus et propriis Constitutionibus, potissimum in nn 12, 42, 57, 58, 155, 156, 207, 282, 291, 292, 303, 310, 339, 342, 380, 381, 434, 440, 449, 461, 467, 469, 482, 483, 495, 555, 562, 563, 564, 576, 597, 626, 633, 658, 659, 662, 663, 708.

Articulus II

Cardinalis Protector.

347. Congregatio a Summo Pontifice petere potest, ut ei unum e S. R. E. Cardinalibus assignet Protectorem.

348. Cardinalis Protector, nisi aliud expresse cautum fuerit in particularibus casibus, iurisdictione in Congregationem aut in singulas sodales non pollet, nec se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscet, sed eius est tantummodo bonum Congregationis consilio et patrocinio promovere. Can. 499, § 2.

Articulus III.

Ordinarius loci.

I.

349. Subduntur quoque sorores Ordinario loci ad normam Sacrorum Canonum et propriarum constitutionum prout indicatur potissimum in hoc capite èt nn. 32, 35, 37, 53, 54, 247, 248, 254, 267, 282, 283, 288, 289, 290, 294, 295, 296, 298, 300, 301, 311, 316, 341, 370, 455, 483, 497, 537, 547, 548, 549, 555, 561, 563, 595, 599, 600, 606, 607, 609, 658—663, 673, 675—681, 687—689, 691, 695. Cf. can. 500, 618.

350. Ordinario loci exibeant sorores maximam reverentiam, debitum obsequium et devotionem atque, praesertim cum ad consulendum populi necessitati requisitae fuerint, ministerium, salva religiosa disciplina, libenter praestent. Cf. Can. 603, § 1.

351. Episcopus loci in omnibus Congregationis ecclesiis et oratoriis in suo territorio sitis potest pontificalia exercere, concionari, sacramentum confirmationis administrare; quod si facere voluerit, debite eum sorores excipiant. Cf. can. 337, § 1; 1343, § 1; 792.

352. Locorum Ordinarii advigilant, ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens.—Si loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam omnes sorores obligatione tenentur easdem servandi, et Ordinarius potest earundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare. Can. 1261.

353. Orationes et pietatis exercitia publice peragenda ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis Congregationis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia. Can. 1259, § 1.

354. Si Ordinarius loci ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra solemnia indicat, omnes sorores obedire debent, salvis constitutionibus propriis. Can. 614.

355. Facultatem concionandi apud sorores sacerdotibus dat loci Ordinarius; sed concionator nequit facultate uti sine Superiorissae assensu. Can. 1338, § 3.

356. Religiosa iuventutis institutio in Congregationis scholis et institutis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiicitur. Ordi-

narii locorum vigilant ne quidquam contra fidem et bonos mores tradatur aut fiat, approbant religionis magistros et libros; itemque religionis morumque causa, exigere possunt ut tum magistri tum libri removeantur. Sorores Ordinariorom quoad has res ordinationibus fideliter obtemperent. Can. 1381.

357. In omnibus in quibus sorores subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coërceri. Can. 619.

II.

358. Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitat singulas domos Congregationis in sua dioecesi sitas non solum in iis, quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium, sedes ad sacramentum poenitentiae, sed etiam in aliis, quae ad internam disciplinam spectant; nempe ipse potest inquirere num disciplina ad Constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et, si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non patiantur, statim decernere potest; decretum vero ad Sanctam Sedem defert. Can. 512, § 2, n. 3; 618, § 2, n. 2.

359. Ordinarii locorum sive per se sive per alios possunt quoque Congregationis scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare. Can. 1382; 1491, § 2.

360. Item si domui religiosae adiecta habeantur collegia seu internatus, convictus, orphelinatus, asyla aliaque similia instituta pariter episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem. Can. 1491, § 2.

361. Ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci pariter reddatur occasione visitationis et etiam saepius, si Ordinarius id necessarium duxerit. Can. 535, § 3.

362. Loci Ordinarius insuper cognoscit de administratione fundorum legatorumque de quibus num. 599. Can. 535, § 3.

363. Visitantem Ordinarium eiusve delegatum sorores excipiant omni cum debita reverentia, pietate et subiectione.

364. Vistator ius et ofiicium habet interrogandi religiosas, quas oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosae obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superiorissis fas est quoquo modo eas ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire. Can. 513, § 1.

365. A decretis Visitatoris recursus dari potest in devolutivo tantum, nisi Visitator ordine iudicario processerit. Can. 513, § 2.

366. Antistitae, quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque reli-

giosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa, quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secum ferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quae funguntur, priventur. Can. 2413, § 1.

Articulus IV.

Parochus loci.

367. Parochus ex officio curam animarum exercet in omnes suos paroecianos, si non sint legitime exempti, ergo etiam in huius Congregationis sorores utpote non exemptas, tamen non potest ille sese ingerere in domus religiosae bonorum administrationem, in internum eius regimen ac disciplinam. Cf. can. 464, § 1; 618.

368. Parocho loci exhibeant sorores debitam reverentiam et subiectionem ac libenter praestent, praesertim si requisitae fuerint, pro posse iuvamen, v. gr. in catechisandis pueris, in dirigendis circulis et associationibus puellarum et mulierum, in diffundendis bonis libris, in curanda munditia et decore domus Dei et altarium, in curanda et conservanda sacra supellectile.

369. Ad parochum loci, nisi ei Ordinarius capellanum suffecerit ad normam n. 370 Constitutionum, spectat per se vel per alium:

1-o Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem ministrare aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valitudinis;

2-o Funera defunctorum peragere, servato praescripto in n. 268—270, 272 Constitutionum. Cf. can. 514, § 3—4.

370. Potest Episcopus iusta et gravi de causa Congregationis domos, collegia et instituta, quae in paroeciae territorio sint, a parochi iurisdictione et cura subducere eique capellanum sufficere; huius exemptionis extensionem ipse Ordinarius determinat. Cf. can. 464, § 2.

Articulus V.

Capitulum et Superiorissae.

371. Suprema vero auctoritas immediata et actualis in tota Congregatione modo ordinario exercetur a Superiorissa Generali et modo extraordinario a Capitulo Generali.

372. Superiorissae et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditas. Can. 501, § 1.

373. *Super orissarum maiorum* nomine veniunt suprema Congregationis Moderatrix et Superiorissa Provincialis atque earundem Vicariae; ceterae *Superiorissae* dicuntur minores. Can. 488, n. 8.

374. Superiorissis quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium, quod tutatur doctrinam fidei et morum, spectantibus se intromittant, sed casum ipsi S. Officio vel loci Ordinario incunctanter denuntient. Cf. can. 501, § 2; 247.

375. Suprema Congregationis Moderatrix potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales Congregationis, exercendam secundum constitutiones; aliae Superiorissae ea gaudent intra fines sui muneris pariter secundum Constitutiones. Can. 502.

376. Suprema Congregationis Moderatrix quattuor, Superiorissa Provincialis pariter quattuor, Superiorissa autem localis saltem formatae domus duas habeant suas Consiliarias, quarum consensum aut consilium exquirant ad normam Constitutionum et sacrorum canonum. Cf. can. 516, § 1.

377. Sint etiam pro administratione bonorum temporalium Oeconomae: Generalis quae Congregationis universae bona administret, Provincialis quae provinciae, Locales quae singularum domorum; quae omnes officio suo fungantur sub directione Superiorissarum. Can. 516, § 2.

378. Oeconomae Generalis et Provincialis munus gerere Superiorissa ipsa non potest; munus vero Oeconomae Localis, quamvis melius a munere Superiorissae distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat. Can. 516, § 3.

379. Ad munus Superiorissae maioris inhabiles sunt quae huius Congregationis professae non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio natae et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de Moderatrice Generali; annos triginta, si de aliis Superiorissis maioribus. Pro Consiliariis et superiorissis minoribus nulla aetas nec anni professionis determinantur; sed necesse est, ut sint professae votorum perpetuorum. Cf. can. 504.

380. Superiorissae maiores, earum Consiliariae, Secretariae et Oeconomae sint temporariae, nempe ne eligantur nisi ad spatium sex annorum; elapso primo sexennio, Suprema Moderatrix et Superiorissae Provinciales iterum eligi possunt, sed ut immediate assumi queant ad tertium continuum sexennium requiritur consensus Sanctae Sedis; Consiliariae, Secretariae, Oeconomae eaedem semper rursus reeligi possunt. Cf. can. 505.

381. Superiorissae autem Locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum eaedem assumi, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo sine consensu Sedis Apostolicae; sed elapso unius anni intervallo denuo eaedem in eadem provincia vel domo superiorissae constitui licite possunt. Can. 505.

382. Directrices scholarum et institutorum possunt constitui ad tempus ultra triennium, si non sint simul superiorissae sororum, sub sua potestate eas habentes etiam quoad religiosam disciplinam. (A. X. 344).

283. Quaevis Superiorissa suo officio fungatur usque ad adventum novae in eius locum designatae Superiorissae, si haec ad tempus non advenerit; aut usque ad novam in officio a Superioribus confirmationem, si rursus eadem electa sit.

384. In sua quaeque domo Superiorissae commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam Constitutionum. Can. 508.

385. Omnis Superiorissa debet notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis, quae religiosas respiciunt, suas inter subditas promovere. Can. 509, § 1.

386. Quaevis, intra fines sui muneris, Superiorissae dent operam assiduam, ut et in universa Congregatione et in singulis provinciis domibusque vita componatur secundum Constitutiones, super quarum observantia sedulo invigilent.

387. Non competit Superiorissis facultas super Constitutionibus generaliter dispensandi; bene tamen conceditur illis potestas, iusta de causa, eximendi in casibus particularibus ab observatione alicuius Constitutionum praescriptionis sorores particulares ad tempus, in iis quae essentiam votorum non attingant.

388. Omnes Superiorissae continuo curent:

1-o Verbo et exemplo, assidua oratione, opportunis instructionibus, adhortationibus et monitis, si opus fuerit, etiam adhibitis remediis poenalibus et salutaribus poenitentiis, omnes et singulas subditas ad proficiendum in spiritu promovere et iuvare ad perfectionem evangelicam assequendam;

2-o Attendendo ad cuiusque indolem ac capacitatem atque ad domus, respective provinciae vel Congregationis, bonum et necessitates, singulis officia, labores, occupationes et onera iuste distribuere ac imponere, sine ulla personarum acceptione.

3-o Etiam in operibus vitae activae peragendis dirigere ad Dei gloriam ac bonum aedificationemque proximorum;

4-o Mutuam inter eas pacem, caritatem et unionem conservare, colere ac promovere;

5-o Sollerter pro viribus adlaborare tum ad conservandum in bono statu tum ad promovendum et ipsam Congregationem et eius provincias domosque.

389. Cui est auctoritas in Congregatione in personas sive phisicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas; quae alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam. Cf. can. 106, n. 1, 2.

390. Sicubi ordo praecedentiae servandus sit, hic servetur: Superiorissa Generalis, eius Consiliariae et Officiales Generales; Supe-

riorissae Provinciales, tum Superiorissae Locales; utraeque respective iuxta prioritatem temporis ex quo sint praepositae; sorores professae iuxta ordinem professionis; novitiae iuxta tempus et ordinem ingressus in novitiatum; postulantes iuxta ordinem earum admissionis. Cf. can. 106, n. 5.

391. Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; superiorissae et officiales quae officio cadunt nullum peracti officii titulum mere honorificum nullumque aliud privilegium habeant, sed eum in Congregatione occupent locum qui eis iuxta Constitutiones competit. Cf. can. 515.

CAPUT XXII.

De electione et postulatione.

Articulus I.

De electione.

392. Electio fiat congruo iuxta prudens relativarum Superiorissarum iudicium tempore ante vacationem officii, si illud lapsu praefiniti temporis vacaturum sit; si vero illud vacuerit morte, renuntiatione, privatione, amotione vel translatione, ne unquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; termino inutiliter elapso, Superior, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat. Cf. can. 161.

393. Electio facienda est semper collegialiter et etiam capitulariter, nempe ita ut suffragatrices simul congregentur atque sic communiter expleant actum votationis.

394. Superiorissa cui ius vel officium convocandi competit, státuto de consensu sui Consilii modo, loco ac tempore electricibus convenienti, atque iisdem has circumstantias in actu convocationis significando, convocet omnes quae iuxta Constitutiones vocandae sunt; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi domicilii vel in loco commorationis. Can. 162, § 1.

395. Deficiente Superiorissa vel ea convocare negligente aut renuente, ius convocandi transit ad eius Vicariam; hac vero deficiente, ad sequentem in ordine Consiliariam.

396. Non sunt vocandae, licet sint de Consilio vel Capitulo:

1-o quae ius suffragii amiserint vel eo privatae fuerint;

2-o absentes quae versentur in locis valde remotis, vel alias sint impeditae, vel nequeant sine gravi periculo aut incommodo vocari, vel si expectarentur, esset periculum amittendi iuris ad electionem faciendam, ob lapsum temporis utilis.

397. Si quae ex vocandis neglecta et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia,

a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum. Can. 162, § 2.

398. Quodsi plures quam tertia pars eligentium neglectae fuerint, electio est ipso iure nulla. Can. 162, § 3.

399. Defectus convocationis non obstat, si praetermissae nihilo minus interfuerint. Can. 162, § 4.

II.

400. Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eas quae praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratricem, aut absentes per alias in earum locum subrogatas quocumque modo supplendi. Cf. can. 163.

401. Etsi quae plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre. Can. 164.

402. Nulla Capitulo quod congreditur extranea persona admitti potest ad suffragium; secus, electio est ipso facto nulla. Can. 165.

403. Si laici contra canonicam libertatem electioni quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est. Can. 166.

404. Libertatem electionum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electrices aut electam, peracta electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae a Praeside puniantur. Can. 2390, § 1.

405. Quod si electioni a collegio religiosarum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electrices quae hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privatae sunt pro ea vice iure eligendi; quae vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium, de quo agitur, ipso facto inhabilis. Can. 2390, § 2.

406. Nequeunt suffragium ferre:

1-o Incapaces actus humani;

2-o Censura vel infamia iuris affectae, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam;

3-o Quae sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt;

4-o Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut ex propriis constitutionibus, quae ad normam 104 etiam professis votorum temporaneorum vocem activam concedunt. Can. 167, § 1; 578, n. 3. Cf. can. 2265, 2275, 2294, 2314, 2256.

407. Si quae ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electam non retulisse

requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissa fuerit excommunicata per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Can. 167, § 2.

408. Si quae ex electricibus praesens in domo sit, in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatricibus exquiratur, quae eam adeant ac eius schedulam in urnam clausam suscipiant et ceteris uniant. Can. 168.

III.

409. Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1-o Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si electrix metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adacta fuerit ad eligendam certam personam aut plures distinctive;

2-o Secretum; nemini licet manifestare, in quam suffragium ferat;

3-o Certum; id est continens in se ipso eligendam personam determinatam proprio nomine et cognomine vel alio modo certe expressam; quare incertum, ac proinde nullum, esset suffragium, quod plura eligendarum nomina contineret, vel cuius scriptura legi aut sensus intelligi non posset vel quod proferretur per schedulam vacuam seu albam;

4-o Absolutum, nempe non subiectum conditioni eius efficatiam infirmanti vel restringenti. Conditiones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censeantur.

5-o Determinatum, ideo nullum est suffragium alternativum vel indecisum;

6-o Collatum in personam eligibilem. Cf. can. 169.

410. Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest, ad quod evitandum adhibeantur opportuna remedia. Cf. can. 170.

411. Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis, sub poena amittendae pro hac electione activae et passivae vocis. Cf. can. 507, § 2.

412. Item non licet in suffragiis ferendis moveri respectibus humanis, personali amicitia vel aversione, eoque magis vetantur sorores sive promissionibus sive minationibus alias eligentes in suam partem flectere.

IV.

413. Ad officia candidatae solummodo inter sorores votorum perpetuorum eligi possunt, nisi quae ex iis voce passiva privatae fuerint ex iure communi et constitutionibus. Cf. can. 578, § 3. 504.

414. Eligenda ad aliquod officium soror iis qualitatibus debet esse praedita quae a iure communi et constitutionibus ad illud officium requiruntur. Can. 153, § 1.

415. Eligantur, omnibus perpensis, magis idoneae, sine ulla personarum acceptione, eae quas secundum Deum eligendas esse existimaverint, nempe quae prae ceteris videantur eminere prudentia et scientia, morum gravitate, caritate et pietate, zelo et religionis observantia, peritia et aptitudine ad officium recte obeundum atque gaudere sufficienti ad onus ferendum valetudine. Cf. can. 153, § 2. 506, § 1.

416. Cum electa caret qualitatibus requisitis, electio est nulla, si ita cautum sit iure communi vel constitutionibus; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest. Can. 153, § 3,

417. Collegium quod indignam scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi; nempe postquam electae indignae repertae sunt, ac Superior confirmationem denegaverit. Can. 2391, § 1.

418. Singulae vero electrices quae substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae a Moderatrice Generali de consensu Consilii puniri. Can. 2391, § 2.

V.

419. Ante electionem per secreta suffragia deputentur e gremio collegii duae scrutatrices et una actuaria seu secretaria; scrutatrices una cum Praeside, si ipsa e gremio collegii sit, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione. Can. 171, § 1.

420. Scrutatrices:

1-o Curent ut suffragia in schedulis scripta secreto, diligenter et servato praecedentiae ordine, ab unaquaque electrice ferantur, quae in urnam colligant;

2-o Collectis ad ultimum suffragiis, eadem coram Praeside enumerent inspiciantque, an suffragiorum numerus respondeat numero eligentium. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum, id est scrutinium censeatur nullum neve computetur inter scrutinia inefficacia, sed nova suffragatio instituatur;

3-o Singulas schedulas aperiant explicentque ea ratione ut nomen electae valeant inspicere et Praeses et ipsae scrutatrices simulque scrutentur num quod suffragium ex aliqua causa sit nullum;

4-o Perlegant palam singula suffragia ita ut ab omnibus electricibus nomen electae audiri valeat;

5-o Una e scrutatricibus et actuaria notent interim in scriptis nomina earum quae suffragia referunt cum respectivo suffragiorum numero;

6-o Numerent palamque faciant, quot quaeque suffragia retulerit, ac dignoscant num una ex electis habeat requisitam suffragiorum maioritatem. Cf. can. 171, § 2—3.

421. Si nulla istam maioritatem obtinuerit, procedatur eodem modo, ut supra, ad secundum scrutinium; si et hoc inefficax fuerit, ad tertium ad normam num. 425 constitutionum.

422. Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur. Can. 171, § 4.

423. Electio per compromissum excluditur. Can. 172.

424. Omnia electionis acta ab ea, quae actuariae munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eadem actuaria, Praeside ac scrutatricibus subscripta, in domus, provinciae vel Congregationis tabullario diligenter asserventur. Can. 171, § 5.

VI.

425. Ea electa habeatur et a Capituli vel Consilii Praeside proclametur, quae demptis suffragiis nullis, partem absolute maiorem id est plusquam medietatem suffragiorum retulerit; aut, post duo inefficacia scrutinia, partem relative maiorem in tertio; quodsi, post tertium scrutinium, suffragia aequlia fuerint, electa habeatur prima professione, tum maior aetate. Can. 174. Cf. can. 101. § 1, n. 1.

426. Si electa non sit praesens, electio illico ab electricibus intimanda est ei; eius consensus non requiritur, electioni renuntiare non licet; attamen si electa existimet se officium suscipere non posse ob valde graves causas, easdem, permittente Praeside, electricibus exponere potest; quas si hae ratas habere renuerint, officium sibi demandandum illa accipiat oportet.

427. Acceptatione electionis electa, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem. Can. 176, § 2.

428. Ante acceptam confirmationem, salvo praescripto Constitutionum in num. 383, ipsi praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii, et actus ab ea forte positi nulli sunt. Can. 176, § 3.

429. Omnes, quae iure eligendi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate iliius cui confirmatio competit, officium conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privatae manent. Can. 2399.

430. Quae ad officium electa in eius regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

1-o Sit ipso iure ad idem inhabilis et praeterea a Suprema Moderatrice pro gravitate culpae puniatur;

2-o Per privationem officii cogatur ab eius administratione statim, monitione praemissa, recedere;

3-o Capitulum, Consilium aliaeque, ad quas spectat, huiusmodi electas ante confirmationis litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi suspensae maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae. Can. 2394.

431. Si electa confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a collegio protocollum electionis una cum petitione de confirmatione ad Superiorissam, cuius est electionem confirmare, transmittatur. Can. 177, § 1.

432. Confirmatio in scriptis dari debet. Can. 177, § 3.

433. Recepta confirmatione, electa obtinet plenum ius in officio. Can. 177, § 4.

434. Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privetur in poenam, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit; nempe, si agatur de electione Superiorissae Generalis eiusque Cinsilii, ad Sedem Apostolicam; si de ceteris electionibus, ad Superiorissam Generalem; quod negotium ad Sanctam Sedem deferat Praeses Capituli Generalis aut, si illud locum non habuerit, Moderatrix Generalis eiusve Vicaria; ad Moderatricem vero Generalem, Superiorissa Provincialis eiusve Vicaria. Cf. can. 178.

435. Sed si electio legitimo tempore peracta fuerit, nec sit nulla ob causam ex qua electrices in poenam iure eligendi pro illa vice priventur et tamen effectum non sortiatur vel cassetur, electrices rursus obtineant ius intra mensem novam electionem faciendi. Cf. can. 178, 176, § 1.

Articulus II.

De postulatione.

436. Si electioni illius quam electrices aptiorem putant ac praeferant impedimentum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsae suffragiis eam possunt a competente Superiore postulare, etsi agatur de officio, pro quo electa confirmatione non egeat. Can. 179, § 1.

437. Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario. Can. 507, § 3.

438. Ut postulatio vim habeat, pro ea stet oportet maior suffragiorum pars, imo, si cum electione concurrit, saltem duae tertiae partes requiruntur; quod si etiam in tertio scrutinio haec suffragia pro ea obtenta non fuerint, quae relativam maioritatem retulerit ea valide sit electa, exclusa postulata. Can. 180, § 1. A. XIV, 406.

439. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, peto, rogo; aut aequivalens; formula: *eligo* vel *postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione; si electrix igitur dubitat, num adsit impedimentum electionis, adhibeat formulam: eligo vel postulo. Cf. can. 180, § 2.

440. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ab ipso collegio seu ab electricibus ad Superiorem ad quam pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi; secus ad Romanum Pontificem aut ad alium habentem facultatem. Can. 181, § 1.

441. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evaderet et electrices pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentas fuisse impedimento. Can. 181, § 2.

442. Per postulationem nullum ius postulatae acquiritur, et Superiori licet eam repellere. Can. 181, § 3.

443. Praesentatam Superiori postulationem electrices revocare non posunt, nisi Superiore consentiente. Can. 181, § 4.

444. Reiecta a Superiore postulatione, ius eligendi ad collegium redit, nisi electrices scienter illam postulaverint quae tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet. Can. 182, § 1.

445. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulatae, quae eam acceptare debet ad normam num. 426 constitutionum. Can. 182, § 2.

446. Si eam acceptet, plenum ius in officio eidem statim acquiritur. Can. 182, § 3.

CAPUT XXIII.

De Capitulo Generali.

I.

Quando et quomodo convocandum sit.

447. Capitulum Generale ordinarium convocetur quovis sexto anno ad electiones generales faciendas; — extraordinarium vero quando propter mortem Moderatricis Generalis tempore sui officii secutam, vel eius resignationem vel depositionem necessarium evadit.

448. Tam in ordinario quam in extraordinario Capitulo tum electiones necessariae perficiuntur, tum etiam de gravioribus totius Congregationis negotiis tractatur.

449. Pro convocando Capitulo Generali extraordinario ex alia quacumque causa quam supra n. 447 indicata, requiritur licentia Sanctae Sedis.

450. Convocatio Capituli per epistolam circularem fiat, quam, si agatur de ordinario Capitulo, Moderatrix Generalis, si autem de extraordinario, Vicaria scribat, et quidem tres menses ante incipiendum Capitulum ad normam num. 392 399 constitutionum. Cf. can. 161, 162.

451. Ante Capitulum indicentur omnibus sororibus preces quibus a Deo bonae Superiorissae impetrari valeant. Vocales ante Capitulum saltem unius diei exercitia spiritualia peragant

II.

De Capituli membris.

452. In Capitulo Generali vocem activam et passivam hae habent:
a) Superiorissa Generalis,
b) Eius Consiliariae,
c) Secretaria Generalis,
d) Oeconoma Generalis.

Hae sorores membra Capituli congregati manent, etiamsi post electiones factas aliae in earum locum suffectae fuerint.

e) Sorores quae antea officio Superiorissae Generalis functae sunt, exceptis eis, quae a suo officio depositae erant,
f) Superiorissae Provinciales,
g) Binae delegatae e singulis provinciis in Capitulo provinciali electae, ad normam n. 651 Constitutionum.

453. Ad validitatem actorum Capituli Generalis requiritur, ut saltem duae tertiae partes vocalium intersint.

454. Non licet sororibus manifestare sua suffragia sive inter Capitulum, sive ante, sive post illud. Licet tamen eis ante Capitulum privatim inter se deliberare et informationes sumere de personis eligendis deque earum dotibus et idoneitate ad officia, quinimo, etiam communes et publicas sessiones habere in quibus tum ea quae ad recte faciendam electionem conferre possint statuantur tum personae eligendae eorumque aptitudo ad officia percenseantur, dummodo vocales secum ne determinent electionem, priusquam locum Capituli ineant.

III.

De electione et postulatione Superiorissae Generalis.

455. In Capitulo Generali electionibus, eisque solis, tum Moderatricis Generalis, tum eius Consiliariarum, tum Oeconomae Generalis et Secretariae praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electiones peraguntur; quapropter tempestive de Capitulo celebrando certior redendus est Cf. can. 506, § 4.

456. Ante Capitulum Generale celebretur Missa Sacra, si ritus permittat de Spiritu Sancto, si secus, de die; omnes electrices ad Sacram Synaxim accedere studeant; si fieri potest, curent, ut ad eas sermo de electione congrue facienda habeatur.

457. In electionibus, quae a Capitulo fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160—182, pariter atque Constitutiones in num. 392—435. Can. 507, § 1.

458. Postulatio, ad normam Constitutionum num. 436—446, non prohibetur, sed admittatur solum in casu extraordinario, nempe id revera exigente Congregationis bono. Cf. can. 507, § 3.

459. Primo loco eligenda est Superiorissa Generalis; eligant quam secundum Deum eligendam esse existimaverint ad normam num. 379—380; 413—418 Constitutionum.

460. Electionem rite factam Praeses legitimam declarat ac promulgat; sorores autem electae Moderatrici Generali statim obsequium praestant eius manum dexteram deosculando

461. Si postulata sit in Moderatricem Generalem soror, quae praescriptas Constitutionum num. 379—380; 413—418 conditiones non habet, salvo praescripto num. 383, ea non potest immitti in munus et eius possessionem capere, antequam confirmationem Sedis Apostolicae obtinuerit. Interea Superiorissa munere cedens, respective eius Vicaria ad normam n. 383 Constitutionum regimen Congregationis exercet.

IV.

De electione Consiliariarum, Secretariae et Oeconomae Generalis.

462. Post electam Moderatricem Generalem ad eligendas, distinctis scrutiniis, sorores Consiliarias, necnon Secretariam Generalem et Oeconomam Generalem procedatur.

463. Pro officio Secretariae Generalis etiam una ex Consiliariis eligi protest, dummodo non sit prima.

464. Illa ex Consiliariis, quae primo eligitur, Vicaria Moderatricis Generalis erit.

465. Consiliaria vero, quae secundo loco eligitur, erit Admonitrix sive Socia Superiorissae Generalis.

466. Postquam Praeses Capituli etiam has electiones legitime factas declaravit et promulgavit, eius munus finem obtinet.

467. Sorores sic electae in suo quaeque officio manent usque ad proximum Capitulum, nec deponi possunt nisi ex gravi causa, et a solo Consilio Generali. Sed Consiliariarum Generalium depositio a Sancta Sede confirmari debet.

468. Electionibus peractis, pro gratiarum actione hymnus „Te Deum" dicitur; quo facto, electa Moderactrix Generalis facit promissionem de Congregationis bono promovendo et disciplina tuenda.

V.

De negotiis in Capitulo absolvendis.

469. In Capitulo, factis electionibus, etiam de gravioribus negotiis, quae universam spectant Congregationem, tractatur, praecipue de eis, pro quibus absolvendis licentia vel confirmatic S. Sedis requiritur.

470. Huiusmodi negotia sunt potissimum:

1-o. Quaecumque Constitutionum immutationes vel modificationes, servatis quae n. 708 praescripta sunt;

2-o Provinciarum erectio, circumscriptio, suppressio ad normam n. 626 Constitutionum;

3-o. De provinciae suppressae bonis dispositio ad normam num. 627 Constitutionum;

4-o. Erectio, translatio, suppressio novitiatus domorum ad normam n. 57—58 Constitutionum;

5-o. Approbatio rationis redditae de honorum administratione et statu oeconomico Congregationis ad normam n. 624 Constitutionum;

6-o. Emissio normarum instructionumque pro administrandis bonis sive totius Congregationis sive singularum provinciarum domorumque ad normam n. 566 et 579 Constitutionum;

7-o. Determinatio tributi annui a singulis domibus solvendi pro sustentanda Congregationis Curia Generali nec non institutis quae communis pro Congregatione sint utilitatis, ad mentem n. 557 Constitutionum;

8-o. Instructionum, ordinationum ac praescriptorum quae opportuna esse videntur emissio: pro sodalibus, pro diversis religionis officialibus et superiorissis, pro operibus, domibus, provinciis atque universa Congregatione, ad normam sacrorum canonum et propriarum constitutionum;

9-o. Media statuenda opportuna ad abusus si qui irrepserint vitiaque extirpanda, ad disciplinam religiosam ac Constitutionum observantiam promovendam, ad spiritum renovandum ac zelum augendum;

10-o. Ea quae ipsius Congregationis bonum ac promotionem spectent nec non ab ea suscipienda diffundendaque opera quae pro maiore gloria Dei et Ecclesiae utilitate sint opportuniora.

471. Quaevis vocalis ius habet in scriptis proponendi ad tractandum in Capitulo ea quae sibi a re Congregationis esse videantur; proposita porrigantur Capituli Praesidi, cuius est, de consensu recens electarum Consiliariarum, seriem materiarum tractandarum determinare easque deliberationi Capituli ex ordine proponere.

472. Definiuntur autem negotia per absolute maiorem partem suffragiorum secretorum; quodsi suffragia aequalia fuerint, Praeses suo voto paritatem dirimat; ipsa suffragatio fiat per calculos seu ballotos.

473. Deliberationes diriguntur a nova Moderatrice Generali. Quapropter si talis soror electa fuerit, quae in Capitulo praesens non erat, statim vocetur, et negotia differantur, usque dum venerit.

474. Quod si forsitan etiam quaedam ex electis Consiliariis, vel Secretaria, aut Oeconoma recens electa in Capitulo praesentes non sint, invitentur utique statim, quin tamen Capitulum interrumpatur vel differantur negotia pertractanda usque ad earum adventum.

475. Capitulum ex suo gremio potest speciales commissiones seu collegia eligere eisque varia negotia expedienda vel proposita sororum perpendenda vel nova elaboranda committere; item potest peritas in

re de qua agitur sorores ad participandum discussionibus invitare sed nonnisi cum voto consultivo.

476. Quo temporis spatio Capitulum sit duraturum, non definitur stabiliter; sed ne protrahatur illud ultra tempus necessarium pro gravioribus Congregationis negotiis absolvendis.

477. Acta Capituli negotiorum accurate ab actuaria ad normam n. 424 constitutionum conscripta in archivo Congregationis fideliter custodiantur.

478. Circa acta in Capitulo negotiorum omnes participantes secretum servent.

479. Ordinationes et decreta Capituli Generalis obligant omnes tum Superiores tum subditas atque in vigore manent usque ad proximum Capitulum, in quo illa rursus revisioni subiciantur.

CAPUT XXIV.

De Moderatrice Generali.

480. Moderatrix Generalis, rite electa, gubernat et administrat universam Congregationem ad normam sacrorum canonum et propriarum Constitutionum. Cf. can. 501, § 1, 502.

481. Jus habet, ad normam Constitutionum demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam Congregationem pertinent, tum quae in singulis provinciis vel domibus exercentur; proindeque sorores ex una in aliam provinciam vel domum mittendi, collata re cum earundem Superiorissis.

482. De consensu sui Consilii sedem potest figere in ea domo, quae regimini aptior censetur. Quae domus inde tamquam caput vel centrum totius Congregationis consideratur. In aliam domum Moderatrix Generalis sedem suam perpetuo transferre non protest absque licentia S. Sedis.

483. Moderatrix Generalis debet quinto quoque anno relationem de statu Congregationis ad Sanctam Sedem per documentum mittere, subsignatum a se cum suo Consilio et etiam ab Ordinario loci in quo Moderatrix Generalis cum suo Consilio residet; quae relatio conficiatur iuxta schema a Sacra Congregatione de Religiosis praescriptum. Can. 510.

484. Moderatrix Generalis, sive per se sive per aliam sororem ad hoc delegatam, singulis trienniis vel etiam pluries, si opus fuerit, singnulas Congregationis domus visitet, ut informetur de disciplinae observantia, de bonorum administratione, de negotiorum et operum gestione, de sodalium vita et necessitatibus, ut absus, defectus, excessus, si qui irrepserint, amoveat et opportune provideat bonae domorum gubernationi tam disciplinari quam oeconomicae, ut omnes in voca-

tione confortet atque promoveat religionis observantiam, pietatem caritatem, zelum; visitet autem personas, res, opera ac loca. Ct. can. 511.

485. Si agitur de Visitatrice deleganda pro aliqua domo vel pro particulari negotio, in potestate solius Moderatricis Generalis est, eam ex sororibus votorum perpetuorum designare. Si vero Visitatrix Generalis pro tota Congregatione deputanda est, Moderatrix Generalis in ea designanda votum decisivum Sororum sibi a Consiliis adhibere debet, si eam extra gremium ipsius Consilii eligere velit; debet autem semper eligi soror votorum perpetuorum.

486. Moderatrix Generalis, vel eius in Congregatione visitanda vices gerens, aliam sororem sociam habere curet, quae eam iuvet in eis quae ipsi necessaria esse videbuntur.

487. Etiam in visitatione quam sive Moderatrix Generalis sive eius vices Gerens peragit valeant quae n. 364 – 366 Constitutionum praescripta sunt.

488. Superiorissa Generalis administrationi bonorum temporalium iuxta infra dicenda Constitutionum capita accurate invigilet, quin tamen in officia et munera sive Oeconomae Generalis sive Provincialis sive Moderatricum domorum directe se ingerat.

489. Moderatrix Generalis libenter a Consiliariis de eis quae ad suam personam et officium pertinent admoneri patiatur.

490. Non potest illa esse simul Superiorissa Localis neque Provincialis.

491. Interpretationem authenticam Constitutionum dare non potest, nec etiam additiones, mutationes vel derogationes sancire; sed earum observantiam assidue promovere tenetur ad normam num. 386 Constitutionum.

492. Non potest sibi constituere ad libitum Vicariam, eique delegare suas facultates, cum ipsae Constitutiones statuant, quaenam soror et in quibusnam casibus eius vices gerere debeat

493. Nec etiam pro arbitrio sororibus vocem activam et passivam concedere aut subtrahere potest, cum in ipsis Constitutionibus determinatum est, quaenam sorores talibus iuribus gaudeant.

494. Si necessarium videretur, Moderatricem Generalem officio et auctoritate privare, Sorores a Consilio rem ad Sanctam Sedem deferant eiusque decisioni submittant.

495. Si Moderatrix Generalis sentiret se debere a supremo munere sese abdicare, rationes suas Sanctae Sedi exponat, cuius erit abdicationem admittere vel secus.

CAPUT XXV.

De Consilio et Consiliariis Moderatricis Generalis.

Articulus I.

De Consilio.

496. Cum ius et Contitutiones statuunt Superiorissam ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1-o Si consensus exigatur, Superiorissa contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex gr. de consilio, vel audito etc. satis est ad valide agendum ut Superiorissa illas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat.

2-o. Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae ad normam Constitutionum num 394 legitime convocentur, et mentem suam manifestent; Superiorissa autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum.

3-o. Omnes de consensu vel consilio requisitae debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire. Con. 105.

497. Sorores Moderatrici Generali a consiliis in rebus maioris momenti suffragium decisivum habent. Huiusmodi negotia praecipue sunt:

1-o Constitutio et mutatio sive translatio sedis Curiae Generalis ad normam n. 482 Constitutionum: — item sedis Superiorissae Provincialis;

2-o. Depositio alicuius e Consiliariis Generalibus, Secritariae et Oeconomae Generalis ad normam n. 467 Constitutionum;

3-o. Substitutio alterius sororis usque ad proximum Capitulum in locum Sororis a Consiliis, Secretariae et Oeconomae Generalis demortuae, sive depositae, sive perpetuo impeditae;

4-o. Designatio Visitatricis Generalis, quae non sit e numero consiliariarum, ad effectum visitandi universam Congregationem vel notabilem eius partem aut aliquam provinciam ad normam n. 485 Constitutionum;

5-o. Electio Superiorissarum Provincialium ad normam n. 379 atque earundem Consiliariarum ad normam n. 376 et 379 Constitutionum;

6-o. Electio Magistrarum novitiatus earumque Sociarum ad normam n. 527 Constitutionum; atque earundem dimissio iuxta n. 528. Constitutionum;

7-o. Determinatio loci ac temporis Capituli Generalis ad normam n. 455 Constitutionum, audito Ordinario loci.

8-o. Erectio novarum domorum et suppressio existentium, exquisita prius sententia Superiorissae Provincialis eiusque Consilii atque servatis quae n. 656 — 663 Constitutionum praescripta sunt;

9-o. Extra tempus Capituli, si res urgeat:

a) erectio, translatio et suppressio domus novitiatus,

b) erectio, circumscriptio, suppressio provinciae ac de suppressae bonis dispositio, ad normam n. 626, 57, 58. Constitutionum;

c) determinatio tributi annui a singulis domibus solvendi pro sustentanda Congregationis Curia Generali nec non institutis quae communis pro Congregatione sunt utilitatis ad mentem n. 557. Constitutionum;

10-o. Admissio ad novitiatum candidatae, quae aliquo ex impedimentis n. 41 et 43 Constitutionum allatis laborat, salvo praescripto n. 42 Constitutionum;

11-o. Confirmatio dimissionis novitiae et exclusionis professae temporariae a subsequenti professione annua vel perpetua, ad normam n. 85, 84 et 309 Constitutionum;

12-o. Confirmatio admissionis candidatae ad primam et ultimam professionem annuam, ad normam n. 44 Constitutionum;

13-o. Dimissio professae tum temporariae, durantibus votis, tum perpetuae, exquisita prius sententia Superiorissae Provincialis eiusque Consilii, ad normam n. 327 — 343 Constitutionum.

14-o. Confirmatio electionis sororum pro officiis: Secretariae et Oeconomae Provincialium, Superiorissarum Localium et Directricum institutorum paedagogicorum atque scholarum tam superiorum quam mediarum, ad normam n. 629, 634 Constitutionum: earundem dimissio ad normam n. 633 et 665 Constitutionum;

15-o. Alienatio vel etiam oppignoratio sive rerum pretiosarum sive aliorum bonorum mobilium immobiliumque; debita contrahenda; expensae extraordinariae faciendae; contractus et pacta nomine Congregationis facienda; aedificatio novarum domorum vel existentium insignis eaque sumptuosa reaedificatio, ad normam n. 564 620 Constitutionum;

16-o. Approbatio rationum quae de bonorum administratione sive provinciarum sive totius Congregationis redduntur ad normam n. 621 624 Constitutionum;

17-o. Translatio sororum de una provincia in aliam.

18-o. Aliaque graviora quae occurrerint negotia, non reservata Capitulo Generali vel Sedi Apostolicae.

498. Suffragia semper secreta sint oportet; atque ferantur ad normam eorum, quae cap. XXII. et. n. 472. Constitutionum dicta sunt.

499. Si suffragia hinc inde aequalia penderent, Moderatrix Generalis rem dirimit; secus vero in electionibus. Electiones nunquam fiant nisi in Consilio pleno; quod si una ex Consiliariis partem habere non possit in aliqua electione instituenda in eius locum vocetur Moderatrix domus; et si adhuc altera desit, in eius locum una ex sororibus votorum perpetuotum domus a Consiliariis eligatur.

500. Si Secretaria non est ex ipso gremio Consilii, in eo suffragium non habet nisi consultivum; pariter non habent nisi consultivum suffragium Oeconoma et Magistra novitiarum, si participes sunt Consilii, cum de negotiis earum officia spectantibus agitur; praeterea Superiorissa alias quoque sorores in re de qua agitur peritas in Consilium vocare potest, sed solummodo cum voto consultivo.

501. Negotia in Consilio ea ratione pertractentur, ut Consiliariis plena concedatur libertas proferendi, quid sentiant; quapropter, generatim loquendo, prudens erit, quod si Superiorissa exposita re et, quod maximum est, indicatis rationibus „pro" et „contra", a declaranda sua sententia se abstineat, antequam Consiliariarum sententias usque ad finem audierit.

502. Superiorissa ostendat quoque Consiliariis litteras, scripta et documenta, quae petinent ad rem de qua est deliberatio, ut hae bene informatae rectam de rebus sententiam ferre possint.

503. Consilium congregatur semel in mense; praeterea toties, quoties Congregationis negotia id exigant.

Articulus II.

De Sororibus a Consiliis.

504. Sorores a Consiliis in domo principe residere debent; in casu autem necessitatis duae ex illis extra illam domum degere possunt, dummodo tamen, quotiescunque opus fuerit, praesentes esse et consilio intervenire facile possint.

505. Sororibus a Consiliis alia officia, quae praecipui earum muneris exercitium praepedirent, committi non debent.

506. Illa ex sororibus a Consiliis, quae primo loco electa fuit, Moderatricis Generalis Vicaria est: illiusque sive mortuae, sive amotae, sive absentis, sive impeditae in omnibus vices gerit.

507. Illa ex sororibus a Consiliis, quae secundo loco electa fuit, Admonitrix seu Socia Moderatricis Generalis est; Socia Superiorissae necessitatibus prospiciat eique quoties id in Domino necessarium esse videbitur, monita det, sed cum modestia et humilitate, ne quid inde detrimenti reverentia, quae Moderatrici Generali debetur, patiatur.

508. Munus Sororum a Consiliis est, Moderatrici Generali in regenda et administranda tota Congregatione consilium et auxilium, prout requisitae ab ipsa fuerint, praestare, necnon suffragium ferre circa negotia graviora et electiones eaque proponere, quae sibi a re Congregationis esse videantur.

509. Sorores a Consiliis circa omnia negotia, quae sive in consilio sive extra earum fidei commissa sunt, secretum diligenter servent. Quod si quae violet, serio admoneatur et si iterum atque iterum in hoc deliquerit pro gravitate culpae, ex rerum et personarum adiunctis diiudicanda, puniatur.

510. Sorores Consiliariae in sui muneris officio directe a Moderatrice Generali dependeant; in omnibus aliis autem a Superiorissa locali.

CAPUT XXVI.

De Archivo et de Secretaria Generali.

511. Secretariae Generalis est, salvo praescripto num. 616, documenta, scripturas et acta, quae Congregationis historiam, administrationem et negotia spectant, apte disposita et diligenter clausa fideliter asservare et custodire in archivo seu tabulario, quod in tuto ac commodo loco erigendum est. Cf. can. 375, § 1.

512. Omni diligentia ac solicidutine conficiantur inventarium seu catalogus documentorum, quae in archivo continentur, cum brevi singularum scriptuarum synopsi. Can. 375, § 2

513. Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt. Can. 376, § 1.

514. Tum Superiorissa tum Secretaria sedulo inquirant chartas et scripturas forte alio distractas atque dispersas; et quaelibet necessaria remedia adhibeant, ut eaedem scripturae archivo restituantur. Can. 376, § 2.

515. Archivum clausum sit oportet et nemini illud ingredi vel inspicere liceat sine Superiorissae et Secretariae licentia. Can. 377, § 1.

516. Una Secretaria illius clavem habeat. Can. 377, § 2.

517. Ex archivo non licet efferre originales scripturas sine Moderatricis consensu eaedemque post triduum in suum locum referantur. Moderatrici autem reservatur facultas prorogandi hoc tempus, quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedatur. Can. 378, § 1.

518. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, relinquat Secretariae, quae curet, ut elatae scripturae suo tempore restituantur. Can. 378, § 2.

519. Scripturae secreto servandae, quae bonam famam alicuius laedere possint, licet in communi archivo, tamen in speciali arca vel scrinio omnino clausae et obseratae cautissime custodiantur et quotannis quarum conservatio, de sententia Moderatricis, iam superflua evadit, quamprimum comburantur. Cf. can. 379.

520. Secretariae Generalis est processus verbales et acta Consiliorum conscribere eaque post Moderatricem Generalem subscribere.

521. Muneris eius etiam est, iussu Moderatricis Generalis et huius nomine, epistolas, acta, ceterasque scripturas conscribere, quae ad ne-

gotia Congregationis spectant; librum historiarum Congregationis et status personalis redigere.

522. Dabit illa sororibus a Consiliis necessarias explicationes circa omnia, quae in archivo asservantur et ad negotia in Consilio tractanda spectant..

523. Secretaria circa omnia negotia quae sive in Consilio sive extra eius fidei sunt commissa, altissimum secretum servet.

CAPUT XXVII.

De Magistra Novitiarum,

524. Novitiarum institutioni praeficienda est Magistra, quae sit annos nata quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professa, prudentia, scientia, peritia, caritate, pietate, religionis observantia conspicua. Can. 559, § 1.

525. Si ob novitiarum numerum, vel etiam aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistrae novitiarum adiungatur socia eidem immediate subiecta in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos nata saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professa, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis. Can. 559, § 2.

526. Utraque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiarum curam et regimen impedire valeant. Can. 559, § 3.

527. Magistra novitiarum eiusque Socia eligantur a Moderatrice Generali de consensu sui Consilii, exquisita prius sententia Superiorissae Provincialis eiusque Consilii. Can. 560.

528. Officio suo utraque per triennium fungantur neve antea ab eodem removeantur sine iusta gravique causa de qua Consilium Generale decernit. Elapso triennio, eaedem rursus eligi possunt. Can. 560.

529. Uni Magistrae ius est et officium consulendi novitiarum institutioni, ad ipsamque unam novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se quovis colore immiscere, exceptis Superiorissis maioribus ac Visitatricibus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magistra, perinde ac novitiae, Superiorissae est obnoxia. Can. 561, § 1.

530. Gravi obligatione tenetur Magistra novitiarum omnem adhibendi diligentiam ut suae alumnae in religiosa disciplina, secundum Constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam num. 68 Constitutionum. Can. 562.

531. Intra annum novitiatus Magistra, exquisitis etiam sententiis professarum quae in domo novitiatus commorantur ter de agendi ratione singularum alumnarum relationem Superiorissae tum Provinciali tum Generali earumque Consiliaris exhibeat. Can. 563.

532. Quoties autem in Consilio de novitiis vel de novitiatu agendum est, Magistra vocetur quae mentem suam de tali negotio aperiat et opportunas informationes subministret. Cf. can. 563.

CAPUT XXVIII.

De confessariis.

533. Singulis sororum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum, vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus. Can. 520, § 1.

534. Si qua soror, ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminabit, salva conscientiae libertate. Can. 520, § 2.

535. Monentur sorores, ut facultate sibi concessa specialem petendi confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

536. Unicuique sororum communitati dabitur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes sorores se sistere debent, saltem benedictionem recepturae. Can. 521, § 1.

537. Ordinarii locorum, in quibus sororum communitates existunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designabunt, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire. Can. 521, § 2.

538. Si qua soror aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre. Can. 521, § 3.

539. Si non obstante praescripto n. 533 - 538, aliqua soror, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico aut in loco ad audiendas confessiones mulierum destinato peracta, valida et licita est; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et sorores nihil Antistitae referre tenentur. Can. 522. A. XII, 575.

540. Sorores omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere Can. 523.

541. Antistita, quae contra praescriptum Constitutionum in num. 538 – 540 se gesserit, a loci Ordinario monebitur, si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione punietur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis. Can. 2414.

542. Sorores de sociarum confessionibus ne inter se colloquantur neve eas carpere audeant, quae apud alium quam deputatum confessionem peragant; semper magnam prudentiam et circumspectionem adhibeant, quoties, iusta de causa, eis de confessaris aut eis quae confessionem spectant loquendum est.

543. Sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut offcii ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, exceptis S. R. E. Cardinalibus, quibus ubique terrarum confessiones etiam religiosarum excipere fas est et salvo praescripto in num. 539 — 540 Constitutionum; hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam n. 544—548 Constitutionum.

544. In munus confessarii sororum et ordinarii et extraordinarii deputari possunt sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in sorores in foro externo habentes. Can. 524, § 1.

545. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, nec, praeter casus in n. 548 recensitos, rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest. Can. 524, § 2.

546. Confessarii sororum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immiscere possunt. Can. 524, § 3.

547. Ordinarius loci eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios. Licitum tamen est Moderatrici rogare, ut hic vel ille sacerdos a confessionibus deputetur, rem Ordinarii arbitrio plane submittendo. Can. 525.

548. Sororum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior sororum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est. Can. 526.

549. Loci Ordinarius potest, gravem ob causam, sororum confessarium tam ordinarium tam extraordinarium amovere, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur. Can. 527.

CAPUT XXIX.

De bonis temporalibus deque Oeconomis.

Articulus I.

De bonorum possessione et acquisitione.

550. Non modo ipsa Congregatio, sed etiam quaevis provincia et domus sunt capaces acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis ad fines sibi prioprios prosequendos. Cf. can. 531. 1495, § 2.

551. Res dicuntur pretiosae, quibus notabilis valor sit artis vel historiae vel materiae causa; donaria votiva, insignes reliquiae vel imagines in iure aequiparantur rebus pretiosis. Cf. can. 1497, § 2. 1281, § 1.

552. Congregatio vel eius, provincia aut domus acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet. Can. 1499, § 1.

553. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet personam moralem (ipsam Congregationem, provinciam, domum), quae eadem bona legitime acquisiverit. Can. 1499, § 2.

554. Exstincta domo, eius bona fiunt provinciae; hac vero exstincta totius Congregationis, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque ordinationibus Moderatricis Generalis eiusque Consilii. Can. 1501.

555. Sorores vivant de redditibus bonorum Congregationis, provinciae, domus, et de eis, quae propria industria ac labore acquiruntur; stipem cogere vetantur pro quolibet pio opere vel fine sine Sedis Apostolicae aut propriae Superiorissae maioris et Ordinarii loci licentia in scriptis data. Cf. can. 1503.

556. Tributo pro Seminario ab Ordinario loci in sua diocesi ad normam sacrorum canonum imposito obnoxia esto quaelibet quoque religionis domus in eadem dioecesi existens, nisi in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur; reditus tributo obnoxius est qui, deductis omnibus et necessariis expensis, supersit in anno. Cf. can. 1356.

557. Quaelibet domus, copia rerum abundans, quotannis ex eo quod in fine anni, rationibus consolidatis et omnibus deductis expensis, superest pecuniae, tertiam partem tradat arcae Provinciae; quaevis autem Provincia idem tribuat arcae totius Congregationis. Si hoc tributum ad tolerandas communes sive provinciae sive Congregationis expensas non sufficiat, singulae domus et provinciae ad easdem ferendas pro rata parte concurrant secundum normas a Capitulo vel respective Consilio Generali determinatas.

558. Voluntates fidelium Congregationi, provinciae vel domui facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis. Can. 1514.

559. Soror quae bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Superiorissam maiorem certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum omnibus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet. Can. 1516, § 1.

560. Superiorissa maior debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis. Can. 1516, § 2.

561. Bonis fiduciariis alicui sorori comissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Superior de quo in Constitutionum n. 559 et 560 est loci Ordinarius. Can. 1516, § 3.

562. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit. Can. 1517, § 1. Cf. can. 1551, § 1.

563. Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos redditus aliamve causam, nulla administratorum culpa impossibilis evaserit, tunc ad instantiam Superiorissae maioris eiusque Consilii, Ordinarius loci, auditis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione quae semper Sedi Apostolicae unice competit. Can. 1517, § 2. Cf. 1551, § 2-3.

Articulus II.

De bonorum administratione.

564. Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator. Can. 1518.

565. Bona tum Congregationis, tum cuiusque provinciae et domus administrentur ad normam iuris communis et propriarum Constitutionum. Cap. 532, § 1.

566. Habita ratione locorum et circumstantiarum, tum Capitulum Generale tum Suprema Moderatrix cum suo Consilio, opportune editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis et Constitutionum, universum administrationis bonorum negotium ordinandum curent. Cf. can. 1519, § 2.

567. Antequam quelibet Oeconoma suum munus ineat:

1-o Fiat accuratum ac distinctum inventarium, ab Oeconoma quae munere cadit et quae munus init pariter atque a Su-

periorissa subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint;

2-o Huius inventarii unum exemplar conservetur in tabulario administrationis domus, alterum in archivo Provinciae, tertium in archivo Congregationis; et in unoquoque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat. Can. 1522.

568. Quaevis Oeconoma, sub directione Superiorissae, bene, fideliter et cum diligentia bonae matrisfamilias suum munus implere studeat, ac proinde debet:

1-o Vigilare ne bona religionis suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant;

2-o Praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, atque Constitutionum, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3-o Redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare ac secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere;

4-o Pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Superiorum, in emolumentum ipsius religionis, respective provinciae vel domus, occupare;

5-o Accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

6-o Documenta et instrumenta, quibus iura Congregationis in bona nituntur, rite ordinare et in domus archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica eorum exemplaria in archivo vel armario tum Provinciae tum Congregationis deponere. Can. 1523.

569. In operum locatione sorores, ad quas id spectat, debent assignare operariis honestam iustamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat. Can. 1524.

570. Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiorissas, faciunt, intra fines sui muneris, Oeconomae quoque ac sorores a Superiorissa audito Consilio ad hoc designatae. Can. 532, § 2.

571. Ad ponedos actus qui ordinariae administrationis fines et modum excedant ac faciendas extraordinarias expensas maiores, requiri tur praevia facultas immediatae Superiorissae maioris de consensu sui Consilii scriptis danda, ad normam sacrorum canonum et propriarum Constitutionum ut supra num. 565 et 566. Cf. can. 1527.

572. Si domus proprietate immobili gaudet, Superiorissa localis nonnisi eas restaurationes perficere valet, quarum expensae non superant summam a Capitulo vel a Consilio Generali praefinitam; maiores expensae decidantur a Superiorissa Provinciali cum suo Consilio de consensu Consilii Generalis.

573. Sorores litem nomine religionis ne inchoent vel contestentur, nisi licentiam obtinuerint immediatae Superiorissae maioris vel saltem localis, si casus urgeat. Can. 1526.

574. Congregatio (respective provincia vel domus) non tenetur respondere de contractibus a personis quae administrant sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit. Can. 1527, § 2.

Articulus III.

De Contractibus.

575. Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur. Can. 1529.

576. Insignes reliquiae aut imagines pretiosae id est vetustate, arte aut cultu praestantes itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu. Can. 1281, § 1.

577. Salvo praescripto Constitutionum n. 576, ad alienandas res immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur:

1-o Aestimatio rei a probis peritis scripto facta;
2-o Iusta causa, id est urgens necessitas, vel evidens utilitas Congregationis (Provinciae, domus,) vel pietas;
3-o Licentia Superiorum, sine qua alienatio invalida est. Can. 1530, § 1. Cf. can. 534, § 1.

578. Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est. Can. 1532, § 4.

579. Aliae quoque opportunae cautelae, a Capitulo Generali aut Superiorissis pro diversis adiunctis praescribendae, ne omittantur, ut Congregationis (Provinciae, domus) damnum vitetur. Can. 1530, § 2.

580. Res alienari minore pretio non debent quam quod in aestimatione indicatur. Can. 1531, § 1.

581. Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit. Can. 1531, § 2.

582. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Congregationis, provinciae vel domus collocetur. Can. 1531, § 3.

583. Firmo praescripto Constitutionum n. 576 — 582, si agatur de alienandis sive rebus pretiosis et donariis votivis sive aliis bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum accesserit ad instantiam Moderatricis Generalis de consensu sui Consilii per secreta suffragia manifestato; secus requiritur et sufficit: licentia in scriptis data Superiorissae cum consensu sui Consilii per secreta suffragia manifestato: a) Localis, si agatur de alienandis bonis vel contrahendis debitis et obligationibus, quae summam mille francorum seu libellarum non superent; — b) Provincialis, si agatur de alienandis bonis vel contrahendis debitis et obligationibus, quae summam mille francorum seu libellarum superent nec decem millium summam excedant; — c) Generalis, si agatur de bonis alienandis vel contrahendis debitis et obligationibus, quae summam decem millium francorum seu libellarum superent, nec triginta millium summam excedant. Can. 534, § 1.

584 In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obgationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, Congregatio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus, obtenta venia invalida est. Can. 534, § 2.

585. Solemnitates ad normam Constitutionum num. 576 - 584 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio domus vel provinciae vel Congregationis peior fieri possit, ut oppignoratio vel hypothecae nomine obligatio Cf. can. 1533.

586. Congregationi (raspective provinciae, domui) competit actio personalis contra eum qui sine debitis solemnitatibus bona religiosa alienaverit et contra eius heredes; realis vero si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorum, salvo iure emptoris contra male alienantem. Can. 1534, § 1.

587. Contra invalidam rerum religiosarum alienationem agere possunt quae rem alienavit, eius Superiorissa atque quae eis succedunt in officio. Can. 1534, § 2.

588. Firma nullitate actus et obligatione restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, quae bona religionis alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta num. 583:

1-o Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitima Superiorissa puniatur;

2-o Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, Superiorissa vel Oeconoma privetur

proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias poenas a Superioribus infligendas.

3-o Quod si beneplacitum apostolicum praesciptum num. 583 fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebando, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata. Can. 2347.

589. Si quis bona religiosa cuiuslibet generis, sive mobillia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire, ne eorum fructus seu redditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excomunicationi tamdiu subiacet, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit. Can. 2346.

590. Largitiones ex bonis domus, provinciae, Congregationis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, puta remunerationis aut pietatis aut caritatis, et quidem de venia Superiorissae ac secundum legitimam loci consuetudinem, si de parvis et modicis agatur; si de maioribus vero, ad normam a Capitulo Generali determinatam; quae si desit, ad normam a Moderatrice Generali eius que Consilio, vel etiam, in casu urgenti, a Superiorissa provinciali cum suo Consilio statutam. Cf. Can. 537, 1535.

591. Donatio vel oblatio facta domui repudiari nequit, nisi accedente iusta causa ab immediata Superiorissa maiore probata. Cf. can. 1536, § 2.

592. Res sacrae ne commodentur ad usum qui earundum naturae repugnet. Can. 1537.

593. In venditione aut permutatione rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur. Can. 1539, § 1.

594. Superiorissae possunt titulos ad latorem, quos vocant, Commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu sui Consilii, salvo praescripto in num. 599 et 600 constitutionum. Can. 1539, § 2.

595. Bona immobilia Superiorissarum coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda sine speciali Ordinarii loci licentia. Can. 1540.

596. Contractus locationis alicuins fundi Congregationis ne fiant, nisi ad normam Constitutionum n. 581; et in iisdem addantur semper conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendis et praestandis quae conventa sunt, de opportuna cautela pro conditionibus implendis. Can. 1541, § 1.

597. Pro locatione bonorum Congregationis serventur solemnitates num. 583 Constitutionum praescriptae; insuper habeatur ratio locationis temporis, nempe si locatio non sit ultra annum, sufficit decisio Superiorissae Localis eiusque Consilii; si locatio non sit ultra sexennium, requiritur et sufficit licentia Superiorissae Provincialis, si locatio sit ultra sexennium requiritur licentia Superiorissae generalis; si autem valor locationis excedat triginta millia libellarum et locatio fiat ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum. Cf. can. 1541, § 2.

598. Ut pecuniae collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponatur, requiritur votum decisivum Consilii toties quoties exquirendum, exhibitis Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias, servatis aliis quae ad normam Constitutionum num. 565 et 566 servanda sunt; quod item valet pro qualibet collocationis mutatione.

599. Sed insuper Superiorissa praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenetur:

1-o Si pecunia collocanda dotem professarum constituat ad normam Constitutionum num. 37.

2-o Si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam. Cf. can. 533, § 1.

600. Hic Ordinarii loci consensus exquirendus est pro qualibet eiusmodi collocationis mutatione. Can. 533, § 2.

601. Si persona moralis (sive Congregatio, sive provincia, sive domus) debita et obligationes contraxerit, etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de eisdem respondere. Can. 536, § 1.

602. Si contraxerit soror cum licentia Superiorum, ipsa respondere debet, nisi de Superiorissae licentia negotium Congregationis gesserit quo in casu persona moralis (Congregatio, provincia, domus) respondet. Can. 536 § 2.

603. Si contraxit soror sine ulla Superiorum licentia, ipsamet respondere debet, non autem Congregatio, vel provincia, vel domus. Can. 536, § 3.

604. Firmum tamen semper est, contra eam personam, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui. Can. 536, § 4.

605. Caveant Superiorissae ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis redditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam amortizationem reddi summam capitalem. Can. 536, § 5.

Articulus IV.

De piis fundationibus deque Missarum stipendiis.

606. Ut piae fundationes, quibus bona temporalia alicui domui (Provinciae vel ipsi Congregationi) quoquomodo dantur cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex redditibus annuis aliquas Missas celebrandi aut nonnulla pietatis opera peragendi, acceptari a Superiorissis possint,. requiritur licentia Moderatricis Generalis de consensu sui Consilii atque consensus Ordinarii loci in scriptis datus, ad normam sacrorum canonum. Cf. can. 1544—1551.

607. Ordinarii loci mandatis standum est etiam quoad quantitatem dotationis, eius collocationem et conservationem. Cf. can. 1544—1551.

608. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur. Tabularum exemplaria tum in archivo Generali et Provinciali tum in archivo domus ad quam fundatio spectat, tuto asservetur. Can. 1548.

609. Servatis praescriptis num. 558—563 Constitutionum, in qualibet ecclesia vel oratorio onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur ac liber retineatur in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur. Can. 1549.

610. Sicubi in ecclesiis vel oratoriis Congregationis stipendia Missarum recipiantur, stipes pro Missis manualibus Ordinarii loci decreto vel consuetudine dioecesana determinata neque minui neque augeri debet; ius et officium advigilandi ut onera Missarum adimpleantur pertinet ad Superiores. Cf. can. 831; 842.

611. Habeatur quoque peculiaris Massarum liber in quo accurate notentur Missarum acceptarum numerus, intentio, eleemosyna, celebratio, ut Ordinario loci exhibeatur quotannis huiusmodi librum sive per se sive per alium recognoscenti. Cf. can. 843.

612 Fundus, legata et alia quaecumque bona quae quomodolibet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel redditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis, cuiuscumque conditionis sint ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro Missis manualibus vel allis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto, nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt sed integra servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum Superiorissae tum Consiliariae.

Articulus V.

De Oeconomis.

613. Omnia bona immobilia et mobilia totius Congregationis qua talis administrantur ab Oeconoma Generali sub directione et dependentia Moderatricis Generalis eiusque Consilii.

614. Cum Oeconoma Consilii Generalis iussa exequi illique rationem reddere debeat, ipsa non erit quidem e numero Sororum a Consiliis ne iudex evadat in propria causa; in omnibus autem quae administrationem concernunt, in Consilium vocetur, ut documenta necessaria et consilia opportuna dare possit.

615. In domo, in qua Moderatrix Generalis residet, habeatur in loco tuto arca seu capsa, tribus diversis clavibus clausa, quarum unam habebit Superiorissa Generalis, secundam prima ex Consiliariis et tertiam ipsa Oeconoma.

616. In hac capsa asserventur quicunque tituli proprietatis, et syngraphae quae aequivalent pecuniae, ipsamque repraesentant, aut quae ius dant ad certos fructus vel redditus percipiendos; nec non illae numeratae pecuniae summae, quae pro expensis ordinariis seu quotidianis non requirantur.

617. Quoties haec capsa aperienda et claudenda est, tres sorores, quibus claves commissae sunt, in unum conveniant, neque unquam una alteri ex depositariis suam clavem tradat adhibendam, sed potius, instante necessitate, aliam sororem, praesetim ex Consiliariis, deleget, eidem credendo propriam clavem quamprimum restituendam.

618. Oeconoma Generalis accurate adnotat omnia, quae in hac arca reponuntur, et quae ex ea extrahuntur.

619. Eodem plane modo, ut supra dictum est, etiam in singulis provinciis et domibas bona communia asserventur et administrentur.

620. Graviter oneratur Superiorissarum conscientia, ne per se vel per Oeconomam vel aliter, Consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecunque, redditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint Superiorissae intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant, sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et approbationi Consilii comittantur, omnia documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter Consiliariis examinanda tradantur.

621. In fine cuiuslibet sexti mensis Oeconoma Generalis Moderatrici Generali rationem reddet totius administrationis, exhibitis libris a se conscriptis; qui ab ipsa Moderatrice et ab eius Consiliariis examinentur, et si, collatis etiam cum eis pecunia, ceterisque in arca existentibus, exacte conscripti reperiantur, subscriptis nominibus approbentur. Eadem ratione Oeconoma Provincialis raddat rationem suae administrationis Superiorissae Provinciali.

622. Moderatrices locales domorum quovis mense cum suis Consiliariis modo supra num. 621 indicato capsam communem et libros ab Oeconoma locali conscriptos examinent et approbent.

623. In fine cuiusvis semestris Superiorissa localis Provinciali, haec autem in fine cuiusvis anni Superiorissae Generali administrationis rationem reddant.

624. Moderatrix Generalis in fine sui officii Capitulo Generali accuratam rationem reddat administrationis bonorum communium tempore sui regiminis gestae necnon status oeconomici totius Congregationis; porro tabulae redditionis rationum conficiantur ab Oeconoma Generali et ante Capitulum a Consilio Generali cognoscantur. Eligantur autem ex Capitularibus tres sorores quae membra Consilii non fuerunt; earum erit omnia examinare et postea ad Capitulum referre

CAPUT XXX.

De provinciis.

Articulus I.

De provincia.

625. Provinciae nomine venit plurium religiosarum domorum coniunctio sub eadem Superiorissa, partem Congregationis constituens. Can. 488, n. 6.

626. Congregationem in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere ad unam pertinet Sedem Apostolicam. Can. 494, § 1.

627. Extincta provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat ad Capitulum Generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatricem Generalem cum suo Consilio. Can. 494, § 2.

628. Moderatrix Generalis cum suo Consilio nonnullas domus, novitiatus atque instituta praesertim quae communis pro Congregatione utilitatis sunt, de iusta et gravi causa, nulli provinciae adscripta sed immediate suae directioni subiecta habere potest.

Articulus II.

De Superiorissa Provinciali.

629. Superiorissa provincialis, eius Vicaria et Consiliariae eliguntur ad sexennium a Moderatrice Generali de consensu sui Consilii ad normam n. 376—380 Constitutionum.

630. Secretaria et Oeconoma Provinciales eliguntur ad sexennium a Superiorissa Provinciali de consensu sui Consilii ac confirmantur a Moderatrice Generali audito suo Consilio; Secretaria et Oeconoma Provinciales possunt eligi etiam e Consiliariis.

631. Superiorissa provincialis, legitime electa, gubernat et admistrat totam provinciam atque obtinet potestatem in omnes suae pro-

vinciae domos et sodales exercendam, secundum Constitutiones sub directione et dependentia Moderatricis Generalis. Cf. can. 502.

632. Sedem suam una cum Consiliariis figat in domo a Moderatrice Generali eiusque Consilio designata.

633. Ipsius officio durante, neque amoveri neque alio transferri potest, nisi ex iusta et gravi causa, accedente suffragio decisivo Moderatricis Generalis eiusque Consilii atque consensu Sedis Apostolicae.

634. Superiorissa Provincialis ad normam n. 376—382 Constitutionum eligit:

1-o De consensu sui Consilii:
- a) Superiorissas locales;
- b) Directrices institutorum paedagogicorum ac scholarum superiorum et mediarum;
- c) Moderatrices scholarum inferiorum, asylorum, internatuum;

2-o Audito Consilio:
- a) Consiliarias Superiorissarum localium;
- b) Earundem Oeconomas.

Eaedem regulae applicandae sunt, cum agitur de depositione sororum, quae supra enumeratae sunt. Sive electio sive depositio sororum de quibus sub n. 1-o a) et b), ut validae sint, debent a Moderatrice Generali eiusque Consilio confirmari.

635. Superiorissae Provinciali cum Consilio ad normam n. 19, 44, 94, 96, ius esto admittendi candidatas ad postulatum, novitiatum, salvo praescripto in n. 41—43 constitutionum, et quamvis professionem; tamen ut admissio candidatae ad primam et ultimam professionem annuam sit valida, requiritur insuper Moderatricis Generalis et eius Consilii confirmatio; item ius esto Superiorissae Provinciali dimittendi candidatas e postulatu et novitiatu ad normam n. 28 et 83 constitutionum.

636. Consilium suum Superiorissa Provincialis convocet semel in mense vel etiam saepius si negotia provinciae id exigant, ad normam eorum quae Cap. XXV Constitutionum de Consilio Generali dicta sunt.

637. Consiliariae Provinciales et Secretaria in suis officiis obeundis, congrua congruis referendo, observent ea quae cap. XXV — XXVI Constitutionum de Consiliariis et Secretaria Generali statuta sunt.

638. In administratione bonorum a Superiorissa Provinciali et Oeconoma serventur congrua congruis referendo quae supra capite XXIX Constitutionum praescribuntur.

639. Superiorissa Provincialis quovis anno vel etiam saepius, si opus fuerit, omnes domos sibi subiectas visitet per se vel per alias, si fuerit legitime impedita, ad normam n. 484 — 487 Constitutionum. Cf. can. 511.

640. Item quovis anno relationem de statu provinciae ad Moderatricem Generalem mittat per documentum a se cum suo Consilio subsignatum ad normam n. 483 Constitutionum.

641. Imo etiam saepius in anno Moderatrici Generali de eis quae in provincia eiusque domibus geruntur referat, praesertim si quid maioris momenti vel extraordinarii evenerit.

642. Neve ullam maioris momenti, quae ordinariae administrationis vel gubernationis fines et modum excedat, rem gerendam suscipiat sine scitu et licentia Moderatricis Generalis.

643. Antequam de eiusmodi maioris momenti re suscipienda Moderatrici Generali deferat, de eadem ordinarie cum suis Consiliariis deliberet atque diversas, quae prolatae fuerint, de eadem re sententias in litteris ad Superiorissam Generalem fideliter exponat.

Articulus III.

De Capitulo Provinciali.

644. Capitulum Provinciale convocat eique praesidet Superiorissa Provincialis vel eius Vicaria, de scitu et consensu Moderatricis Generalis.

645. Capitulum Provinciale convocandum est semper ante Capituli Generalis celebrationem, tum, triennio elapso, post idem celebratum; convocatio fiat duobus mensibus ante incipiendum Capitulum.

646. In Capitulo provinciali vocem activam et passivam habeant:

1-o Superiorissa Provincialis,

2-o Eius Consiliariae,

3-o Secretaria Provincialis,

4-o Oeconoma Provincialis,

5-o Superiorissae domorum, in quibus saltem sex sorores degunt.

6-o Singulae delegatae a vocalibus huiusmodi domorum inter adstantes sorores votorum perpetuorum eligendae. In domibus maioribus, ubi saltem duodecim sarores habitent, pro singulis sex sororibus una eligatur delegata.

647. Sorores degentes in domibus minoribus uniantur proximioribus, ita ut numerum saltem sex compleant; et sic unitae eligant prius unam e Superiorissis earundem domorum ac postea aliam sororem e subditis perpetuo professam ad Capitulum Provinciale delegandas. Si vero domus minores valde inter se distent, tunc sorores vocales uniuscuiusque adeant viciniorem domum formatam, et una cum illis sororibus, pari iure activo et passivo, in electione delegatae partem habeant. Quae domus et quomodo uniri debeant, Moderatrix Provincialis de consensu sui Consilii decernat.

648. Praeterea eligatur alia soror substituenda delegatae electae, si forte ista legitime impediretur quominus Capitulum adiret.

649. Vocem activam in hoc scrutinio pro eligenda delegata omnes sorores votorum etiam temporariorum habent; vocem autem passivam solae sorores votorum perpetuorum.

650. In Capituli Provincialis celebratione atque in electionibus in eo peragendis et negotiis tractandis serventur, congrua congruis referendo, quae supra cap. XXII—XXIII Constitutionum sunt dicta.

651. In Capitulo Provinciali quod ante Capitulum Generale celebratur imprimis duae delegatae ad idem Capitulum Generale mittendae eligantur atque insuper duae sorores eisdem delegatis substituendae, si forte istae legitime impediantur quominus Capitulum Generale adeant.

652. Delegatis ad Capitulum sive Generale sive Provinciale electis quaevis soror oraliter aut in scriptis committere potest negotia ac res, sua vota ac desideria quae opportuna esse in Domino iudicaverit ad porrigenda Capitulo ad normam n. 471 Constitutionum.

653. Factis electionibus, etiam de gravioribus negotiis, quae sive universam Provinciam sive singulas eius domos spectent, tractetur, praesertim talibus negotiis quae Capituli Generalis deliberationibus esse submittenda existimentur.

654. Descriptum processus verbalis et decisionum Capituli transmittatur Moderatrici Generali ut cum suo Consilio ea revideat et confirmet.

CAPUT XXXI.

De domibus earumque Moderatricibus.

655. Nomine *Domus religiosae* venit domus Congregationis in genere in qua eiusdem sodales, communiter et habitualiter degunt; nomine vero *domus formatae,* domus religiosa in qua sex saltem sorores professae degunt; secus, domus religiosa dicitur *non formata.* Can. 488, n. 5-o.

656. Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex redditibus propriis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri. Can. 496.

657. Domus religiosa constitui non potest nisi ex tribus saltem sodalibus professis. Can. 100, § 2.

658. Ad erigendam domum religiosam, sive formatam sive non formatam, requiritur licentia Ordinarii loci in scriptis data; in locis vero Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus. Can. 497, § 1.

659. Eaedem solemnitates ut supra num. 658 requiruntur, cum agitur de translatione domus religiosae iam erectae ab una loci parte in aliam partem vel de reasumtione domus dirutae aut derelictae.

660. Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pia opera exercendi Congregationis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis. Can. 497, § 2.

661. Ut aedificentur et aperiantur schola, collegium, internatus, asylum vel similis rationis aedes separata a domo, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii loci scripta licentia. Can. 497, § 3.

662. Ut constituta domus in alios usus convertatur, eaedem solemnitates requiruntur de quibus in num. 658, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur. Can. 497, § 4.

663. Domus religiosa sive formata sive non formata suprimi potest a Suprema Moderatrice, consentiente Ordinario loci, nisi de suprimenda unica Congregationis domo agatur, quo in casu ad normam num. 12, requiritur beneplacitum Apostolicum. Can. 498, 493.

664. Quamque domum gubernat Superiorissa Localis, a Moderatrice Provinciali de consensu sui Consilii electa et a Moderatrice Generali eiusque Consilio confirmata ad normam num. 634; 381 Constitutionum.

665. Durante ipsius officio neque amoveri neque alio transferri potest nisi ex iusta et gravi causa, accedente suffragio decisivo Superiorissae Provincialis eiusqu Consilii; quae decisio ut valeat a Moderatrice Generali eiusque Consilio confirmari debet.

666. Superiorissa Localis, saltem domus formatae, in regimine suo iuvetur a duabus Consiliariis ad normam num. 634 Constitutionum electis et confirmatis, quarum prima sit Superiorissae Vicaria, altera vero Socia; Consiliariae in suo munere obeundo servent servanda quae Constitutionum cap. XXV praescribuntur.

667. Superiorissae Locales cum suis Consiliariis singulis mensibus, vel etiam saepius, si opus fuerit, deliberationem habeat de disciplinae observantia, de negotiorum et operum gestione, de domus gubernatione et administratione. In peragendo consilio serventur quae supra cap. XXV dicta sunt, congrua congruis referendo.

668. Quovis semestri Superiorissa Localis relationem de statu domus ad Moderatricem Provincialem mittat per documentum a se cum suo Consilio subsignatum.

669. Etiam saepius in anno Moderatrici Provinciali de eis quae in domo geruntur referat, praesertim si quid maioris monenti vel extraordinarii evenit. Neve ullam maioris momenti rem gerendam suscipiat sine scitu et licentia Moderatricis ad normam eorum quae num. 642 et 643 dicta sunt.

670. In administratione bonorum domus serventur quae supra cap. XXIX praescripta sunt.

671. Varia munera et officia in domo sororibus ab ipsa Superiorissa Locali, auditis Consiliariis, committantur salvo praescripto n. 608 Constitutionum. Eidem Sorori duo vel plura officia concredi possunt, si ea commode inter se componi valeant.

672. Curent Superiorissae Locales:

1-o Ut strictam fidelemque Constitutionum observantiam verbo et exemplo continuo promoveant;

2-o Ut bis in anno, statis diebus, publice legantur propriae Constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribit;

3-o Ut saltem bis in mense, firmo praescripto num. 57 Constitutionum, christianae catechesis habeatur instructio pro sororibus et familiaribus, audientium conditioni accomodata, et pia ad omnes de familia exhortatio. Can. 509, § 2.

CAPUT XXXII.

De ecclesiis et oratoriis deque cappellanis.

Articulus I.

De ecclesiis et oratoriis.

I.

673. Congregatio, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerit, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo et determinato loco aedificet, eiusdem Ordinarii loci licentiam scriptis datem obtinere debet. Can. 1162, § 4. Cf. can. 497, § 2.

674. In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus; locaque, si adsint, subter ccclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur. Can. 1164, § 2.

675. Oratoria semi-publica pariter erigi nequeunt sine loci Ordinarii licentia. Can. 1192, § 1.

676. Ordinarius hanc licentiam non solet concedere, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit. Can. 1192, § 2.

677. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate. Can. 1192, § 3.

678. In collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, asylis et similibus institutis praeter oratorium principale, alia minora ne erigantur, nisi Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat. Can. 1192, § 4.

679. Loci Ordinarius licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedit iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus. Can. 822, § 4.

680. In ecclesia vel oratorio publico legitime dicatis omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, praefinire; tamen divinorum officiorum in congregationis ecclesiis et oratoriis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferre non debet; iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet. Cf. Can. 1171; 609, § 3.

681. In oratoriis semi — publicis, legitime erectis, pariter omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obsistent rubricae aut Ordinarius loci aliqua exceperit. Can. 1193.

682. Sed in ecclesiis vel oratoriis religiosarum neque paroecias erigere neque functiones paraeciales peragere fas est. Matrimonia in eisdem celebrari non debent, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis; idque de expressa Ordinarii licentia. Cf. Can. 1171; 609, § 2; 1109, § 2.

683. Funera saecularium pariter ne permittantur in sororum ecclesiis et oratoriis, nisi agatur de funere famularum defunctarum, quae actu serviebant et intra domus religiosae septa commorabantur ad normam n. 270. Cf. Can. 1225; 1227.

684. In ecclesiis vel oratoriis sororum Ordinarius loci permittere potest erectionem associationis mulierum tantùm, aut piae unionis, quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat. Can. 712, § 3.

II.

685. Superiorissae curent, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in Congregationis ecclesiis et oratoriis erigendis et ornandis serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges, utque omnia in eis conficiantur ac fiant ad normam sacrorum canonum ac legum liturgicarum, ita ut ipso suo apparatu promoveant adstantium pietatem ac devotionem. Cf. Can. 1164, § 1; 1268, § 4.

686. Curent superiorissae, praesertim sorores ad quas pertinet, ut in suis ecclesiis et oratoriis illa munditia et decor serventur quae domum Dei decet; ab iisdem arceatur quidquid a sanctitate loci absonum sit. Cf. Can. 1178.

687. Nemini liceat in ecclesiis aliisve locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata; imagines quae publice ad venerationem exponuntur, cum probato Ecclesiae usu congruant; debitam decentiam et honestatem praesefe rant. Cf. Can. 1279, § 1—3.

688. Si imagines, publicae venerationi expositae, solemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere. Can. 1279, § 4.

689. Reliquias sacras idque, cum exponuntur, in thecis seu capsis clausas et obsignatas, eas solummodo in suis ecclesiis et oratoriis publico cultui exponere possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici, cui facultas authenticandi indulto apostoloco sit concessa. Cf. Can. 1283; 1287.

690. Sedes confessionalis ad audiendas sororum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio sororibus destinato. Sedes confessionalis crate fixa et tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa. Can. 909.

691. Musicae in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis et oratoriis omnino arceantur; et leges liturgicae circa musicam sacram serventur. — Sororibus liceat, ad normam legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclessia aut oratorio publico cantare, sed tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant Can. 1264.

692. Superiores curent, ut Missa, quoad fieri potest, in Congregationis ecclesiis et oratoriis quotidie celebretur. Can. 610, § 2.

693. Minister Missae inserviens ne sit soror, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut soror ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat. Can. 813, § 2.

694. Curent sorores ad quas id spectat ut hostiae sive propter Missae sacrificium sive propter sodalium communionem, sive propter expositionem Sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, sedulo servatis instructionibus, quas Ordinarius loci hac de re dederit. Can. 1272.

Articulus II.

De cappellanis.

695. Ordinarii loci est pro sororum cappellis et ecclesiis sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare tamquam cappellanum, quem ex qualibet iusta causa ad nutum removere quoque potest. Can. 529.

696. Cappellani munus et officia, audita domus Moderatrice, ab Ordinario accurate definiantur.

697. Quod ad Viatici et Extremae Unctionis aegrotis sororibus administrationem et ad defunctarum funerationem spectat, serventur nn. 265 et 268 praescripta.

698. Cappellanus extra sororum clausuram habitet et separatum, quantum fieri potest, ab eis e domo egressum habeat.

699. Clavis tabernaculi, in quo Santissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia cappellani, qui ecclesiae vel oratorii curam habet. Can. 1269, § 4.

700. Ad capellanum spectat admissio sacerdotum extraneorum, ad normam sacrorum canonum et legum ab Ordinario loci datarum, ad celebrationem Missae in sororum ecclesia vel oratorio. Cf. Can. 804.

CAPUT XXXIII.

De Sacrista et Janitrice.

701. Sacristae officium est sustentare perpetuum lumen in lampade coram Sanctissimo Sacramento, servare ordinem munditiemque in ecclesia, in oratorio et in sacristia, linteamina et vestes sacras servare integras mundasque; et praeparare ante adventum sacerdotis omnia quae ad sacra necessaria sunt.

702. Janitrix custodire ianuam tenetur, ne quis domum illegitime ingrediatur; personas exteras ne admittat nisi in locum a Superiorissis assignatum; de omnibus personis domum advenientibus Superiorissae vel sorori ab ea designatae referat; epistolas aliasve res quae in domum afferuntur tradat Superiorissae vel sorori ad hoc designatae; ne quae negotia sive ab exteris sive a suis sororibus tractanda suscipiat neve quas sorores ad collocutorium evocet sine scitu et licentia Superiorissae; antequam cubitum eat, omnia domus ostia circumeat et ianuas claudat; tempore nocturno aperiens ianuam secum sociam habeat.

CAPUT XXXIV.

De ipsis Constitutionibus.

703. Hae Constitutiones per se non obligant sub reatu culpae; sed commendant solummodo quandam satisfactionem seu poenitentiam pro earum transgressione; exceptis casibus: si soror transgrederetur eas ex contemptu, vel in materia quae contraria esset sive votis, sive praeceptis Dei vel Ecclesiae.

704. Contendendum tamen sororibus est, ut has Constitutiones fideliter observent; quoniam haec fidelitas una ex praecipuis causis est, cur omnis Congregatio crescat floreatque. Quapropter non tam timor peccati vel poenae, quam potius caritas erga D. N. Jesum Christum et propriam Congregationem adpellat sorores ad fidelem harum Constitutionem observantiam.

705. Quaevis soror integrum exemplar Constitutionum accipiat oportet.

706. Libri quilibet consuetudines, usus, instructiones Congregationi proprias continentes ut Directorium, Consuetudinarium, Coeremoniale aut similes quocumque nomine veniant apud sorores in usu praeter has Constitutiones, necnon Preces propriae in communi recitari solitae inspectioni et approbationi Sacrae Congregationis de Religiosis subiectae sint oportet. (Acta Ap. Sedis 1919, p. 239).

707. Non licet sine speciali Superiorissae Maioris parmissione dare has Constitutiones ad legendum aliis personis, nisi Superioribus ecclesiasticis et confessariis sororum.

708. In hisce Constitutionibus, utpote a Sancta Sede approbatis, nemini licet aliquid addere vel demere, innovare vel transformare aut modificare vel earundem authenticam interpretationem dare, nisi accedente eiusdem Sanctae Sedis approbatione.

INDEX.

PARS I.

De natura Congregationis et de modo ad ipsam accedendi et in ea vivendi.

PARS II.

De regimine et structura Congregationis.